



**Jani Bleuland medicinae doctoris Observationes anatomico-  
medicae de sana et morbosa oesophagi structura :  
Observationes anatomico-medicae de sana et morbosa  
oesophagi structura**

<https://hdl.handle.net/1874/205881>



JANI BLEULAND

MEDICINÆ DOCTORIS

TRACTATUS

DE


DIFFICILI AUT IMPEDI-  
TO ALIMENTORUM EX  
VENTRICULO IN DUO-  
DENUM PROGRESSU,

OBSERVATIONIBUS CLINICIS

ATQUE

TABULIS ANATOMICO PATHOLOGICIS

ILLUSTRATUS.



№ 2404.

---

---

LUGDUNI BATAVORUM  
APUD ABRAHAMUM ET JANUM HONKOOP.  
MDCCLXXXVII.

Kast V  
Pl. 4



Laudabiliorem sane scopum præfixum sibi habere nequit Auctôr, quam ut labores suos viris eruditis disquirendos, examinandos offerat, quo in publicam utilitatem atque scientiæ augmentum cedat quicquid boni inest. Neque, licet propria laus, nimiusque sui amor sordere soleant, illa tamen Philautia vituperanda est, qua doctorum & æquorum existimatorum applausus optat, sibi que conciliare nititur ingenuus homo.

J. D. METZGER.



ERUDITISSIMO, PLURIMUM REVERENDO,  
PETRO THEODORO COUPERUS.

INTER GOUDANOS  
VERBI DIVINI INTERPRETI FIDELISSIMO,  
SOCIETATI HARLEMENSI, ALIISQUE  
ÆQUE UTILISSIMIS ADSCRIPTO.

Simpliciter P. & D. viv. adhaerens  
J. BLEULAND.

**N**emo tuæ in omni scientiarum genere eruditio-  
nis quodammodo gnarus, vir eximie! mirabitur,  
me hæc pagellas, medicam licet materiem conti-  
nentes, tibi offerre, quem quod inter fautores meos  
atque amicos numerare aufim, non exigua mihi glo-  
ria est. Neque merita tua hic explicare viri patitur  
modestia, neque beneficia in me collata enarrare par-  
sum. Accipe ergo hoc manifestum grati animi testi-  
monium, vir optime! cujus cum ingenii acumine,



apertæ frontis serenitas; cujus cum summa probitate  
mira humanitas; cujus animus non, nisi in bene-  
ficiis, sibi placens, nostræ civitati, quin dicam rei-  
publicæ probata sunt, mihi que præsertim sæpius pa-  
tuerunt: accipe illud ea benevolentia, qua me sem-  
per profecutus es, amicumque mihi animum & con-  
silia tibi jam devinctissimo, tuique in primis studiosis-  
simo ne unquam deneges, & in seram senectutem  
institiæ domitor, nec non justî bonique cultor ve-  
nerandus, vive salvus & incolumis! Vale!

*Dabam Goudæ,*  
*Quarto ante Kalendas Junii*

1787.

PRÆ.



# P R Æ F A T I O.

Quæ ab exercenda, ante lectos ægrotantium, medendi arte restant otia, in propriam, aliorumque pro viribus utilitatem memet impendere, nullus æquus rerum arbiter damnabit. Ante biennium exercitii anatomico physiologici successum circa finem nonnullarum arteriolarum in subtiliorum ramulorum feriem, publici juris feci; anno præterito observationes anatomico medicas de sana & morbosa œsophagi structura in lucem emisi, eodemque scopo memoratu dignos, qui sese mihi obtulerunt casus, oblivioni tradere nolens, hunc de impedito alimentorum ex ventriculo in duodenum progressu tractatum benevolis lectoribus offero. Quæ circa fines arteriolarum admodum subtilia habeo, propter subtilitatem satis accurate delineata nondum exhibere



O P R A E F A T I O.

potui; quum vero dexterrima atque accuratissima manu delineationes eorum pulcras satis acquirere mihi licuit, spero fore ut, arte sculptoriâ adjutus, hæc tentamina cum naturæ curiosis communicare etiam brevi possim.



## I N T R O D U C T I O .

**N**ullam Corporis humani partem, post illas, quæ vitales functiones peragunt, magis integram requiri, in totius œconomia animalis commodum, quam œsophagus, in introductione ad tractationem de ejus sana & morbosa structura, asserui; demonstravi postea non tantum, quali structurâ gaudeat sanus, sed etiam, quomodo nonnunquam morbose mutetur, explicui, & quam fatales eventus tales mutationes sæpius habuerint; earum numerus patuit ex recensione symptomatum, ex observationibus aliorum practitorum, & ex propria experientia, sicque constitit, quomodo impediatur descensus alimentorum ex ore ad ventriculum, signa, quæ docent, ex quibusnam causis illud nascatur impedimentum, examinata sunt, eventum varium, sæpe funestum, tristem dolui, tandemque monstrata via est, quam in curatione illius mali sequendam duxi.

Eodem nunc modo, cum in parte œsophago continua, funesta inedia fontes existere possunt, & revera proh dolor! nimis frequenter hodie obveniunt, non inutile fore putavi, de hac materia hoc volumine scribere.

Integritas enim ventriculi non minus, quam œsophagi, ut conserventur vita & sanitas, adsit oportet; requiritur via æque libera ex ventriculo ad duodenum, quam ex faucibus ad ventriculum; in hoc enim prima nutritionis facultas inchoatur, quæ in intestinis



## I N T R O D U C T I O .

*ulterius perficitur, antequam alimenta ita sint mutata, ut adsit materies, ab osculis villorum, quæ ad vasa lactea ducunt, absorbenda.*

*Tenuissima quidem ingestorum pars, ab iisdem organis absorbentibus, quæ in interiori ventriculi superficie hiant, assumi potest, sicque transferri in generalem humorum massam pro refectioe detritorum; non tamen ista nutrimenti quantitas sufficit, si rationem habeamus, quantum quotidie perdatur per varias portas; conducit tamen, ut diutius protrahatur vita, quam si nihil ingeratur; unde, nisi indoles degenerationis differat, diutius vivere solent ægrotantes cum angustia pylori, quam cum clauso œsophago, attamen cibus remanentibus, subito ventriculus repletur, hoc pondere gravatur, & simulac natura sese nimio hoc onere molestam percipit, quod solita sua operatione per consuetas portas eliminare non potest, vi conatur vincere, incitatur ad violentas contractiones, quæ consuetudine sic increpant, ut amicissima blandissimaque tandem ferre recuset, & fons incrementi vel etiam status omnis absumatur, non omni momento carere attentam considerationem, undenam hoc incommodum nascatur, confido, quare primo capite brevibus de sano ventriculi exitu dicam, deinde ad morbosas ejus conditiones transibo, earumque naturam, causas, signa exitum atque curam ordine absolvam.*



## CAPUT PRIMUM.

DE STATU SANO ORIFICII VENTRICULI  
INFERIORIS

## §. I.

**P**ylorus dicitur illa pars ventriculi, quæ regionem Hypochondriacam dextram respicit, et in sano statu ab exteriori parte per ligamenta fibrosa (a), ab interiori per duplicaturam intimæ tunicæ productâ valvulâ semilunari (b) quodammodo finem ventriculi terminat, ita, ut simulac dictam coarctationem super-scanderint eadem, quæ ventriculum constituunt membranæ, non amplius ventriculi nomine, sed intestini duodeni insigniri ab ab Anatomicis soleant. Brevissima quidem hæc est descriptio situs et formæ dextri ventriculi orificii, sed supervacaneum foret, si plura de his diceremus, quum varii Anatomici quam optime exposuerint, quæ huc spectant: ut EUSTACHIUS, VESALIUS, HEISTERUS, WINSLOWIUS, HALLERUS alique, Sed Celeberrimus SANDIFORT anno 1780 elegantissimas, omnibusque aliis explicatio-

ni-

(a) Vid. RUYSCH. *Thes. Anat.* IX. p. 51. WINSLOW. *Expos. Anat.* T. 3. p. 310. et 311. SANTORIN. *Observ. Anat.* cap. 9.

(b) Vid. MORGENBESSER *de Vomitu.*



## DE STRUCTURA

nibus longe præferendas, tabulas intestini duodeni ediderit, quibus patet hanc valvulam, non ita claudere ventriculum in statu naturali, quam quidem contentorum transitum quodammodo retardare (a) non ita sese habere ac orificium uteri uti HALLERUS voluit (b) aut circulum æqualem prominentem constituerē juxta WEPFERUM (c) sed ab ea parte, quæ curvaturæ ventriculi majori continuatur potius semilunarem ejus formam esse, cujus semilunæ excavatio subpletur a rugosis et longitudinalibus ventriculi plicis, quæ formantur in superiore ejus parte, sive in ea, quæ curvaturæ minori continuatur.

Transeamus ergo ad considerationem tunicarum, quæ concurrunt ad formandum hunc infundibuliformem tubum, ab interioribus incipiendo.

### §. II.

Intima ventriculi orificii inferioris tunica, sive villosa similis fere est illi, quæ superficiem internam oesophagi terminat, ejusdemque membranæ continuatio, (d) eandem habet structuram (e) epidermidi similem, colorem albicantem si separata est; fla-

---

a) Vid. Tab. 2. f. 1, 2, 3.

(b) *Ad Instit.* BOERRH. §. 83.

(c) *De Cicuta Aquatica*, p. 122.

(d) vid: BOHN *de Continuat. membranarum*.

(e) vid. RUXSCH. *Thes. Anat.* 7. n. 40. OELHAFEN *de partibus in abdomine contentis*.



SANA VENTRICULI. 3

flavedine prope ductum choledochum tincta magis, quam in superiore ventriculi parte, vasis sanguiferis destituta quoque esse videtur uti et nervis (a) adeoque dispositione ad inflammationem et ad sensum caret.

Porulis etiam est pertusa uti in oesophago (b), per quos vasa exhalantia & inhalantia rorem effundunt in cavum ventriculi, atque succos subtiliores resorbent. Exhalantium illorum vasculorum actio clare post mortem etiam demonstrari potest, facillimeque mihi aliisque patuit, quum materiae in arteriis injectae, subtiliorem partem in interiore ventriculi superficie illis osculis ad haerentem oculo armato conspexi, ita ut subjecta microscopio pars quasi minimis cerae guttulis conspersa appareret, patuit, dico, sic facillime, dari vasa rorem exhalantia; absorbentia quoque adesse nemo negabit, licet origo nunquam oculis subjecta fuerit. Inservit itaque haec intima tunica ad firmanda horum vasculorum oscula et ad defendendam nerveam contra innumeras dolorum causas, quae sub functione ventriculi occurrunt.

§. III.

Huic descriptae tunicae adnexa est nervea dicta Auctoribus, quae nobis videtur constare ex infinita serie propaginum tenuissi-

mo-

(a) vid. DU VERNEY p. 525.

(b) Vid. Obr. de sana & morbosa oesophagi structura Cap. I. §. 3. & Tab. I & 2.



morum vasculorum varii generis atque nervulorum, sive extremitatibus ultimis ramulorum, quos in descriptione vascularis tunicae notabimus, cohærentibus inter se per tenuissimam cellulofam, atque cum intima tunica per minimas nervorum papillas & cellulofam laxiorem.

Sensilissima hæc tunica est, & quidem ita, ut HALLERUS hanc ipsam tunicam in ventriculo multo sensiliorum, quam in intestinis declaret; novimus, si ab acri vel rodente materie de-rasa intima tunica est, sensilissimum & dolentissimum ventriculum esse, novimus, si ab alio præternaturali stimulo destruitur proportio, quæ locum habet inter stimulum naturalem ad solitum ventriculi motum & irritabilitatem fibrarum muscularium, motum illum naturalem augeri, vel retrogradum, violentissimum vomitum fieri, vel dolores molestissimos oriri, ita ut nullus dubitem, quin maxima sensilitate gaudeat hæc tunica: liceat tamen pace immortalis HALLERI dicere, quod sensilitas diversarum partium ex nobis apparentibus causis non ita facile determinari posse, mihi videtur.

Sc. III. HALLERUS statuit, nerveam ventriculi multo sensiliorum esse, quam intestinorum, quia viderit dolores cardialgicos ab acido ventriculi ortos, qui cessabant, si in intestina materies stimulans transiisset; concedimus hoc verum esse, sed an inde tuto ita concludatur, dubitamus: nimirum, si transeat materies stimulans in intestina, stimulus ejus variis causis ita in-

frin-



fringitur, ut nequaquam simili modo illa afficere possit, utique succo gastrico acidum jam dilutum est, præterea sensim effunditur in duodenum, cujus parietes ut plurimum chylosa obteguntur mucilagine, affunditur succus pancreaticus, quo ulterius diluitur acidum, sed tandem affunditur bilis, quæ nisi insigni copia & saturatissima acida acrimonia adsit, eam ex toto destruit, & sic causam dolorum colicorum, qui ventriculum occupaverant, infringit.

Adeoque hisce causis potius tribuendum nobis videtur solamen dolorum colicorum ab acido in ventriculo oriundorum, si materies transierit in intestina, quam quidem majori nerveæ sensibilitati in ventriculo: dantur contra stimuli, qui ventriculum nequaquam, intestina fortiter afficiunt, V. G. omnia ferme medicamenta purgantia, unde iterum non concludo, sensibilitatem intestinorum tunicæ nerveæ majorem esse quam ventriculi; sed in ea potius sum opinione, quod & in ventriculo, et in intestinis, & in aliis corporis humani partibus, adsit peculiaris quædam dispositio, quare potius ab hoc, quam ab alio stimulo, in actum naturalem, vel naturali majorem, vel præternaturalem incitentur, quod quotidie videmus, sed cujus Phœnomeni ratio non facile explicanda est.



## §. IV.

Jam tertia tunica nobis describenda venit; hæc si absque præparatione ventriculi examinetur, similis est albæ laxissimæque cellulosæ; hinc & inde folliculus glandulosus in ea apparet, & furculis sanguiferorum vasculorum ornata est; a præmissa vero debita præparatione longe alium spectaculum præbet & simillima prorsus est tunicæ illæ, quam glandulosam in descriptione fani oesophagi vocabam (a). Minora autem corpuscula glandulosa ventriculi sunt, quam oesophagi: ratio sequens videtur.

In oesophago requiritur præparatio materiæ spissioris ad lubricandam superficiem internam, quæ si liquida magis esset, nimis facile absumeretur a descendentibus cibis & potibus, atque propria gravitate deplueret, dum in ventriculo potius succi liquidiores ad maceranda & solvenda contenta necessarii orant, unde concludimus, sapientissimum naturæ Auctorem in hac tunica tam longam succorum præparationem non opus judicasse, numerum folliculorum has glandulas componentium non adeo magnum fecisse, et ideo has glandulas minoris esse voluminis, quam in oesophago, ubi spissior mucus erat præparandus, ne nimis cito siccus esset, ad quam itaque major apparatus requirebatur.

## §. V.

---

(a) Vid. L. C. Cap. I. §. 6. Tab. 4.



## §. V.

In vasculari tunica ventriculi eadem differentia locum habere videtur, nimirum, quamvis innumerae adsint vasorum fangui-ferorum anastomoses five communicationes ramorum in ter se, discursus tamen ramulorum non ita tortuosus est, quam in oesophagi vasculari tunica, quod eandem ob rationem factum videtur, ob quam fabrica glandularum in glandulari simplicior est; ad se-cernendos nempe humores tenuiores, non adeo lentus sanguinis motus requirebatur, quam ad tenaciorem mucum. (a) adeoque (absque ut inde nomen mereamur nimis Hypothesibus indulgen-di) videtur nobis clara esse ratio, cur optimus creator diversifi-tates has (b) in fabricandis hisce corporis humani partibus ne-cessarias duxerit, de quibus alio loco fusius agemus.

## §. VI.

Porro ventriculus tunica gaudet musculari, quæ propter varias motus directiones, quæ in digestionis negotio requiruntur, va-riam fibrarum muscularium decursum possidet, vel, uti alii lo-quuntur, variis fibrarum stratis constat, longitudinalibus, five quæ ab uno orificio ad aliud decurrunt, transversis, quæ ab

una,

---

(a) Vid L. C. de Oesoph. p. 27. (b) §. 4.



3            D E S T R U C T U R A

una, curvatura Sc. minori, aliam etiam, five majorem, secant, et cincto ventriculo ad minorem redeunt, tandem etiam obliquis, varia directione gaudentibus in varia ventriculi parte, aliter enim & radiorum adinstar decurrunt, ubi oesophagus in ventriculum explicatur, aliter in media ventriculi parte, aliter ad minorem, aliter ad majorem curvaturam, aliter iterum prope pylorum; hac in parte crassiores sunt & firmæ satis compagis, quod autopsia docet, & ex variis Auctoribus fuscè demonstravit CL. HALLERUS (a) quare de hac plura non addam.

§. VII.

Extima tunica est membranacea continuatio, peritonei, quæ ventriculum æque ac totum canalem intestinorum continet, membrana hæc multis vasculorum ramis ornata est, habet enim vascula sanguifera bene multa arteriosa atque venosa, dum etiam lymphaticis absorbentibus gaudet, neque subtiliori illo vasculorum ab arteriis sanguiferis diversorum systemate destituta est, sed et iisdem gaudet vasculis, quæ in intestinorum tunica extima ante biennium demonstrasse ad oculum me puto, pinguere me illas, voluisse fallaci experimento a vero abludentem, quidem concludit Doct. MEURSIUS (b) minus tamen logice illa  
con-

---

(a) Elem. Physiol. T. VI. p. 127. et seq.

(b) Collectan. Medic. Inauguralia Sive Systematis vasorum absorbentium succine-  
ta descript. pag. 29 & 30.



conclusio facta est, & præmature nimis vasa arteriosa alba materie infeliciter injecta, cum apud amicissimum mihi quemdam Anatomes cultorem in Membrana Sneideriana videret, cum meis arteriis lymphæferis comparavit; uti etiam sua absorbtione nimis turgidus non valde modeste omnia, quæ suæ sententiæ non arident, rejicit, sed etiam eo imprudentiæ pervenit, ut omni elogio majorem BOERHAVIUM minus diligentem Naturæ scrutatorem declarare ausus sit (*a*); neque necesse duco, neque parvum BOERHAVIUM defendere, nomen hujus viri sese ipsum defendit, neque ego inter illos modernos numerari cupio, qui sibi honori ducunt, quod pro BOERHAVII adversariis sese extollunt, (*b*) (hæc in transitu): ego autem vidi lymphatica absorbentia bene multa per hanc tunicam decurrentia, vidi etiam in ea arteriolas minimas humorem sanguine tenuiorem vehentes, imo et aliis viris, quorum judicium magni facio, ipsas in præparato demonstravi; quid dicam, intra breve tempus illas cum ipsis absorbentium lateribus communicantes ulterius demonstrabo, & describam.

## §. VIII.

Vasa arteriosa ingenti numero ad Ventriculum veniunt; non  
tan-

(*a*) L. C. pag. 26.

(*b*) Legatur Inleidend Vertoog van het Negende Deel van het Genootschap Serwandis Civibus.



tantum enim gaudet distributione ramorum illius partis Cæliacæ, quæ proprie Arteria Gastrica appellatur, sed etiam ab omnium Ventriculo adjacentium partium arteriis, uno pluribusve ramis donatur (a), ex Coeliaca autem præcipue habet Arteriam Coronariam sinistram, quæ instar coronæ pulchre sese superiori ventriculi orificio circumplicat, et per posteriorem atque anteriorem ventriculi superficiem sese dispergit; ex Lienali non unum tantum ramum accipit, sed numero bene multos præcipue vero illo in loco, ubi per vasa et membranas sibi invicem annectantur; accipit quoque ab Hepatica, a Duodenali, aliisque ramos, qui ita inter se communicant, ut materie ceracea in uno horum inmissa omnes turgeant, et prius in exteriori superficie anastomoses innumeras monstrent, dein rite vasculorum tenuiorum ac tenuissimorum in interioribus tunicis efficiunt.

Venæ omnibus hisce sociæ sunt, et variis truncis in Venam Portarum conveniunt.

## §. IX.

Nervis bene multis præditus quoque est Ventriculus, accipit in sinistra parte a ganglio magno Intercostalis et Vagi duplici plexu ramos multos, in sinistra itidem ab Intercostali et Hepaticis (b).

Va-

(a) Vid. HALLER fascic. 1 & 2. & seq., & Elem. Physiol. Tom. 6. Lib. 19. pag. 144. et seq.

(b) Vid. WILLIS. Pharmac. Rat. p. I. S. I. C. 2. P. II.



Vasa Lymphatica postea separatim de industria videndi habebimus occasionem, uti supra notavimus (a).

## §. X.

Quum jam ex variis hisce partibus conflatus Ventriculus eo scopo a Creatore datus est, ut accepta alimenta magis minusve diu, pro varia eorum natura, copia, et sic porro, fervaret (b), atque postquam per aliquod tempus, motu suo admistis succis ea maceraverit et emollita in liquidiores substantiam mutaverit, ulterius propelleret ad Intestinum Duodenum, facile quis videt, quod clausa hac via, in miserimum homo redigatur statum, de quo nunc Capite Secundo videbimus.

## CAPUT SECUNDUM.

## GENERALIS IMPEDITI ASSUMTORUM PROGRESSUS DESCRIPTIO.

## §. I.

**I**mpeditus assumtorum ex Ventriculo in Duodenum transitus, morbus est, qui sua signa plerumque non clare manifestat, antequam

(a) Vid. §. 7.

(b) Vid. ALBIN. de Natura Hominis pag. 71. et seq.



quam jam tacite ad certum pervenerit gradum, tuncque sese præsentem monstrat, anxia gravitate post pastum in regione ventriculi et vomitu invincibili quorumvis alimentorum, sæpe etiam potulentorum, quæ modo ingesta sunt.

Diutissime aliquando initia hujus mali locum habere possunt, antequam hominibus tantam molestiam creant, ut inde suspicio nascatur, tam crudelem hostem in se habitare. Quando enim reliquæ ventriculi partes sanæ sunt, et cum vigore agunt, atque obstaculum in ejus exitu vel initio duodeni nondum notabile est; per sat longum temporis spatium hoc potest vinci, absque ut ullum eorum producatum symptomatum, quæ in confirmato malo ejus præsentiam denotant. Increscente autem hoc obstaculo primo nascuntur sensationes quasi gravati ventriculi flatibus distenti, (quod in sanissimis aliquando fit;) quæ, si sibi relinquuntur, sensim cessant, postquam per protractum ventriculi laborem, et admistos ejus succos, in pulvem ferme liquidam converti cipi sint, et sic per angustam viam lentius transeunt.

Multi autem liquoribus spirituosis flatus hos discutere tentant, calidis aromaticis languentem vel frigidum suum ventriculum erigunt, et stimulant, hocque stimulo fit, ut major producatum quidem in ventriculo motus, muscularis tunica majori vi contenta propellat, et sic efficiat, ut citius propulsis, angustiae pro tempore cessent; sed hæc ipsa medelæ apparentia fallax est, et paulo post pejorum symptomatum fit causa; irritata enim pars  
af-



affecteda, obruitur majori humorum affluxu, quos reducere sat cito nequit, tumet magis, incipiunt stagnare, quos continet, succi, sicque obstaculum necessario augetur, dum spirituosus potus & calida aromatica hanc stagnationem non tantum non resolvunt, sed potius in pejus eam ruere faciunt, irritando, deradendo, excoriando.

Aucta jam obstaculi mole, sentitur dolor premens obtusus sub scrobiculo cordis, augetur hic post pastum cum incremento anxietatis, vomunt aliquando homines post difficilioris digestionis prandia: hi vomitus solitis remediis non cessant, vomitoria non tantum frustra aliquando, sed et in summum ægrotantis detrimentum, in usum vocantur, augentur tandem contra omnem auxilii vim, cessant pro tempore sub liquida diæta, ægroti vero impatientes, vel gustus obsequio vel male sana opinione, quod liquidis non satis possint nutrimenti et roboris accipere solidos cibos assumere iterum tentant, renascitur tunc cito memorata tragœdia, majori jam cum molestia, cum doloribus cardialgicis liquida tandem quoque non possunt retinere, sed quævis ingesta revomunt, admisto interdum mucositate, interdum liquida corrupta acidissima materie fusci coloris; habitus absumitur corporis, & rarissime, ad hunc gradum postquam pervenit morbus, ægris reddi sanitas potest, sed tacita plerumque morte abeunt, emaciati quam maxime.



## §. II.

Conveniunt hæc Symptomata ratione progressus cum illis, quæ in descriptione depulsionis alimentorum impeditæ notavimus (a), nempe si oriatur malum lente a causis dubiis obscuris, quæ si in incremento primo sunt, nondum percipiuntur, et illæ quidem frequentiores sunt, uti ex observationibus infra notandis patebit.

Fieri tamen quoque potest, ut adsint conditiones, quæ momento nascuntur, et statim quoque transitum ex ventriculo in duodenum secludunt, hæc autem facilius dignoscuntur et tolluntur quoque cito, et nil mali efficiunt, vel mortem magis accelerant, si non possint tolli, vel quamvis sublatae sint, vi partibus illata, tales conditiones post se relinquunt, ut §. I. memorata mala producantur.

Data hac brevi descriptione originis nostri mali, progressus, atque finis; videamus jam, quænam præcedere debeant, antequam phœnomena memorata apparent.

---

(a) Obs. Anat. Med. Cap. 2. §. 1 & 2.



---



---

## CAPUT TERTIUM.

### DE CAUSIS IMPEDITI EX VENTRICO CULO IN DUODENUM TRANSI- TUS, PROXIMA ET REMOTIS.

#### §. I.

**P**roxima impediti transitus alimentorum ex Ventriculo in Duodenum causa est imminuta vel plane abolita inferioris hujus orificii capacitas, id est angustatus vel clausus Pylorus, aut angustatio vel obturatio partium paulo supra vel infra illud praesentium, sicque morbus quamvis stricto sensu ratione loci differat, idem manet, si eadem symptomata producantur, et affectus morbosus ejusdem sit indolis.

#### §. II.

Talis autem conditio, qua fit ut impediatur transitus ex Ventriculo in Duodenum non per se nascitur statim, sed sequitur, postquam variae causae remotae aliquamdiu in corpore locum habuerint, quarum nonnullae ita Ventriculo inhaerent, ut ille aptus sit nata occasione morbum hunc suscipiendi, aliae his superveniunt, has excitant et sic una morbum pariunt; quas ergo in  
prae-



prædisponentes atque occasionales distinguimus eodem ordine, quo antea de oesophagi angustatione egimus (*a*). Quoniam vero multæ occurrent, quæ in descripto malo latius sunt explicata et in describendo etiam locum habent, non peccabimus illorum brevi recensione, dum alias causas, quæ tunc non notatæ sunt, paulo latius notabimus.

§. III.

Jam videamus, quænam causæ proægumenæ sive prædisponentes in Ventriculo locum habeant, quibus fit, ut hæc pars præcæteris humani corporis partibus pronior sit ad affectus morbosos, quibus via ex Ventriculo ad Duodenum præcludatur.

Quo ad structuram tunicarum; idem hic locum habet, quod in descriptione causarum prædisponentium dysphagiæ naturalium notavi (*b*): talis enim similitudo in structura singulæ tunicæ adest, uti supra monui, ut facile absque longa verborum demonstratione pateat, quod, iisdem accedentibus causis occasionalibus, eadem affectiones morbosæ in hac parte possint nasci. Adeoque nunc transeundum est ad enumerationem illarum causarum prædisponentium, quæ in Ventriculo magis, quam in Oe-

---

(*a*) Vid. Obs. de Sana & Morb. Oesophagi Structura Cap. 3. §. 3. pag. 38, & seqq.

(*b*) L. C. Cap. 3. §. 3. pag. 38, 39. & seqq.



ſophago aliave corporis humani parte locum habent. Inter illas primo loco in conſpectum venit ſitus Ventriculi, quo fit, ut, ſimulac quædam ſibi adjacentium partium morboſe affecta ſit, naſci poſſit occaſio, qua ejuſdem incommodi particeps fit, ſive compreſſione ſive degeneratione, vel his ſimul.

Secundo loco notari debet multiplex Ventriculi nexus, per membranaceas & glanduloſas non tantum partes, ſed etiam per nervos & innumeram vaſorum ſeriem, unde, ſi quædam præternaturalis affectio in una vel pluribus harum adeſt, ſæpe etiam Ventriculus compreſſionibus, doloribus obtuſis, vel & acutis inflammatoriis, contractionibus, aliisque malis obnoxius fieri poſteſt.

Tertio loco inter cauſarum prædiſponentium naturalium numerum recenſeri meretur figura Ventriculi: hæc talis eſt, ut ad introitum amplior ſaccus ſit, ſenſim in oblique inclinatum anguſtiorrem finem deſinens, unde aliis accedentibus conditionibus, quæ ſimili modo totum afficiunt, iſta anguſtior terminatio citius totam capacitatem amittere debet, quam reliqua figura; hinc etiam ſponte patet, quod quarto loco inter has cauſas quammixime attentionem meretur ſtructura particularis, quæ in exitu ventriculi inferiore, qui pylorus dicitur, locum habet; valvula enim illa pylori, quæ relaxata quaſi intima tunica formatur, uti in tubi ſuperficie interiore prominentiam hujus duplicatæ tunicæ monſtrat, ab illa parte, quæ nerveam tunicam reſpicit quodam-



modo debet cavitationem formare, quum aliæ tunicæ non concurrunt ad ejus conformationem, sed illa cavitas impletur quadam materie; quali? Cellulosa laxa tenuissimas glandulas continente, ergo in hoc loco a congestionibus stagnationes, obstructions, effusiones, & sic porro, facilius fieri possunt, quam in quadam glabra valvulisque destituta parte, unde videmus plerumque inferiorem pyloroque propiorem ventriculi partem induratam, quam superiorem, quæ non adeo laxis valvulis gaudet.

Tandem, ipsa ventriculi functio, omnibus mortalibus adeo necessaria, non raro proh dolor! in rationalibus frequentissime, innumerorum malorum atque etiam nostri mali fons esse potest, uti in recensione causarum occasionalium, abunde patebit.

#### §. IV.

Si jam enumeratis hisce causis prædisponentibus, quas Naturales vocamus, quoniam in perfectissima sanitate præsentibus sunt et necessario in ventriculo requiruntur, accedunt aliæ prædispositiones, quæ vel a constitutione varia, ab ætate, sexu, idiosyncrasia, vitæ genere, & sic porro, dependent, videmus, ingentem adesse copiam illarum conditionum, quæ semina describendi morbi secum ferunt.

Huc spectant illa, quæ antea de nimia fibrarum rigiditate diximus



mus (a) uti etiam de nimia earum laxitate (b); ætatem omnem nostro malo corripere posse, experientia me docuit, quamvis semel tantum in juvenili illud observavi, adultam tamen frequentius & senilem occupat.

Sexus uterque etiam femina secum fert (c).

Inter has autem causas prædisponentes non Naturales summam attentionem merentur animi affectus ingrati, quibus in sensilibus ventriculus præ cæteris vehementer patitur, videmus enim inde, non tantum nasci motus ejus perversos, contractiones spasmodicas violentissimas, effusionesque humorum, quos naturaliter continet ventriculus, sed etiam ipsius sanguinis; novi sic virum sanissimum, qui simulac terrore, moestitia, ira, aliove pathemate quodam gradu afficitur, vomitus cruentos patitur, unde multis malis ventriculum expositum esse non opus est, quod multis demonstrum. Quantum in fluxum hæc animi pathemata in ventriculum habeant, docent etiam illa, quæ in ægrotis nostro aliove ventriculi malo laborantibus observamus, non enim tantummodo in præsentis morbo symptomata inde augentur, sed etiam in sanato pristinum revocant. Novi Virginem nobilem, quæ

(a) L. C. pag. 44.

(b) Vid. ibid. & V. SWIETEN COMMENT. in Aph. BOERH. t. 3. p. 369.

(c) Vid. L. C. pag. 45.



quæ ante novem annos angustia pylori ita laborabat, ut quævis revomeret cum anxietatibus summis atque doloribus, quæ autem jam per sex annos omnia alimenta æque ac potulenta in nocue assumit & fert, sed simulac terrore mœrore aliisque ingratissimis passionibus afficitur, oriuntur vomitus & dolet prius affecta pars non tantum, sed etiam tumet et tactui duritiem offert, placata autem mente adhucdum iterum libera hisce symptomatibus vivit, metuendum autem est, nisi ab hisce multum caveat, ne aliquando pristina renovetur tragœdia.

Uti in sensibili hoc subjecto similibusque ab illis affectionibus facile congestiones irregulares motusque humorum perversi, effusiones, acrimoniæ, inflammationes, & sic porro, oriuntur; sic etiam contrarii temperamenti homines in contraria mala cum eodem effectu facilius incidere possunt, in torpidis enim & insensibilioribus illis sæpius languent nimis solida, nascitur lentor humorum, qui spissi facti in suis vasis glandulis aliisque receptaculis stagnant, unde obstructions earumque sequelæ, sicque nova iterum nascitur dispositio ad topicas ventriculi partiumve adjacentium affectiones.

Uti contraria hæc temperamenta seminia nostri mali secum ferunt, sic etiam in contraria vitæ ratione eadem invenire licet; in sedentaria nimirum atque nimis actiuosa.

Qui vitam enim agunt sedentariam, homines, non raro ventrem obstructionibus varii generis obnoxium gerunt, præcipue,



si accedat diæta ex farinaceis & abusus potuum aquosorum, aut spirituosorum, unde cacochymia variæ, tenacitas & lentor in humoribus, rigiditas in solidis, obstructions, indurationes, aliaque mala in multis ventriculo adjacentibus, vel ipsum constituentibus partibus possunt nasci.

Dum in hominibus contrariam vivendi normam eligentibus, qui nempe vitam nimis laboriosam agunt, & corpus suum sæpius & continuo aëris injuriis expositum gerunt, etiam aliomodo nostri morbi fomites observamus. In his enim per motus nimis validos idem fit, ac in animi pathematibus per contractiones partium spasmodicas, nimio scilicet impetu & rivo ad tenuissima vascula feruntur humores, distenduntur hæc, inde resolvuntur oscula, sicque humores nimia copia per ea effluunt, vel rumpuntur, unde possunt oriri inflammationes ventriculi, sanguinis vomitus, excoriationes, exulcerationes, indurationes, hepatitis, ejusque & aliarum partium adjacentium inflammationum sequelæ. Hæc mala nascuntur sub vehementi aëris æstu, dum frigidus catharrales affectiones creat; atque, si talis materia catharralis fluat ad præcordia, non raro fit, ut liberatis ægris ab acutis hujus fluxus symptomatibus, obstructions indissolubiles post se relinquat (a).

Plu-

---

(a) Vid. Obr. ult. Cap. ult.



Plures addere possemus conditiones, quæ ventriculum hoc morbo prædispositum reddunt, sed ex modo dictis, jam satis patet, non mirum esse; quod hodie tristi hoc morbo tam frequenter laborantes mortales Medicis occurrant, & mirum potius videbitur non frequentius et non quotidie illum occurrere, si etiam attente consideremus, quot in quotidiana vita accedant conditiones, quibus occasionales nascuntur causæ, quas nunc recensere oportet.

## §. V.

Quoniam autem harum numerus admodum magnus est, & inter illas multæ sunt, quæ propter periculum, quod secum ferunt, summam attentionem merentur, non inutile erit, si in earum enumeratione divisionem seu ordinem sequentem observamus, ut primo loco agamus de illis, quibus ipse ventriculus immediata applicatione affici potest.

Secundo videamus de illis causis, quæ non ita directe, absque ulla alia corporis indispositione, in ventriculum incidunt, sed tamen ipsum afficiunt; dum,

Tertio loco considerabimus illa adjacentium partium mala, quæ non possunt locum habere absque ut naturalem ventriculi statum morbose mutant, sive situm perversum producendo, sive formam pravam ipsi conciliando, sive sola compressione



capacitatem ejus minuendo, sive degenerationis, quâ laborant, ipsum participem faciendò.

## §. VI.

Inter illa, quibus ipse Ventriculus per directam applicationem afficitur, primo loco recenseri meretur deglutitio corporum heterogeneorum, quæ variis modis in Ventriculum ingesta ita nocere possunt, ut inde malum nostrum in exitu oriatur, pertinent enim huc omnia, quæ sua mole orificium obturant, vel figura vel sua acritate lædunt.

Dantur casus, qui docent ab ingestis talibus heterogeneis Pylorum ex toto claudi posse, omnemque viam ex Ventriculo in Duodenum intercipi: hoc locum habuit in Filia quindecim annorum, quæ, inter ludendum, nummum argenteum exiguum, affem sive Stuferum valentem, deglutierat, a quo altero tertiove die nullum sentiebat incommodum, quarto de dolore ventris coepit queri, locumque doloris manu designabat in dextro latere circa inferiorem Ventriculi partem, qui dolor in dies augebatur, cum vomitu quorumvis assumtorum & virium subita prostratione, ita ut nullis deinde adhibitis remediis auscultaret, sed decimo post infortunam deglutitionem die, jam moreretur misera puella, in cujus cadavere nummus adeo firmiter pyloro erat applicatus, ut nihil posset transmitti, unde



intestina penitus vacua erant (a). Similem casum observavit Cl. LIEUTEAUD in juvene viginti octo annorum, qui *unécu de six Livres* deglutierat, sed, postquam per quatuor dies symptomata nostri morbi passus esset, quinto die per alvum ab hoc nummo feliciter liberabatur (b). Similem autem modo memorato, cum infelici exitu, causam impediti transitus ex Ventriculo in Duodenum observavit BONTIUS in infante, qui nummum cupreum deglutierat, ita ut vomitu continuo emaciatus moreretur, & in cadavere nummus pylorum claudens inveniretur (c). Similem causam hujus mali etiam observavit J. DEMURALTO in infante duorum annorum, qui a nummo deglutito vomebat continuo & emaciebatur valde, sed tandem per diarrhæam feliciter evacuato nummo sanata erat. WEDELIUS cum minus felici exitu virum tractavit, qui nummum triginta asses valentem incaute deglutierat, a quo, symptomatibus morbi nostri vexatus, moriebatur (d). Plures adducere hisce similes casus possem, sed puto hos sufficere, qui docent, quam imprudenti consuetudine infantibus plerumque nummi in ludòs exhibentur, quum hi, nullius periculi gnari, semper dediti sunt ore volvendi, quæ manus continent.

Si-

(a) KERKRING. Obs. Anat. 12. tab. 12.

(b) Hist. de l'Acad. Royal. Am. 1752. pag. 71.

(c) Ephem. Nat. Curios. dec. 2. am. 7. p. 278.

(d) L. C. p. 406.



Similis mechanica obturatio produci potest ab imprudenti deglutitione nonnullarum rerum, quæ ad alimenta quidem pertinent, sed tamen non possunt digeri, præsertim si nimia voracitate non satis masticata depelluntur. Cl. Præceptor VAN DOEVEREN mihi narravit, sese hanc causam observasse in homine, qui per tres menses quæcumque comesta vomitu rejiciebat, unde valde debilis & emaciatus erat, ita ut omnem recuperandæ sanitatis spem jam amississent medicus & ægrotans, tandem revomuit multo mucro involutum frustum quoddam durius, a quo maxime sese levatum esse ægrotans indicabat, illudque corpus Medico suo examinandum mittebat, quo facto & abluto mucro, inveniebatur frustum majus Salmonis fumo indurati prorsus immutatum, quod alimentum paulo ante inceptas miseras sese assumissem in memoriam revocabat æger, qui cessantibus symptomatibus, diæta euclyma & eupepta cito reconvalescebat. a lactis coagulo pylorum etiam ex toto claudi posse, sicque nostrum malum produci ex infra addenda observatione etiam patebit.

Vidi idem a caseo duro cumino condito, cujus frustum majus voraciori cani offerebatur, qui illud sat cito, quamvis difficulter, deglutiebat, & per quatuordecim dies, cum clamore omnia ingesta revomebat; risum tenere non possum, si in memoriam revoco, quomodo medicus quidam caninus clystere illud obstaculum remove conaretur; fortuito hanc operationem adspiciens suadebam, quod multum olei in os hujus canis potius inmitterent,

D

quo



quo factō revomuit frustum casei & revaluit canis. Inter illas mechanicas nostri morbi in ipso ventriculo observatas causas, memorari quoque debet spongia marina, quæ frustatim ventriculo ingesta, putrescendo atque intumescendo Pylorum obstruit, qualem casum refert Cl. J. J. PLENCK, de Puella quatuordecim annorum, quæ a matre sua severius tractabatur, unde in tantum Melancholiæ gradum incidebat, ut intra biduum, integrum manipulum spongiæ vulgaris in minuta frustra disceptæ, deglutiret, a quo intumuit Ventriculus, inanes oriebantur vomendi conatus, fastidium omnis cibi, anxietates, subdeliria, a vomitorio autem exhibito rejexit spongiam cum multo putrido glutine, & revaluit (a).

Variaque hujus generis exempla adducere non difficile foret, sed memorata ni fallor sufficiunt. Secundo autem loco hic incensum venire debent talia corpora heterogenea deglutita, quæ non tantummodo sua mole ita agunt, ut inde obstaculum transmittendis nascatur, sed quæ etiam sua figura ventriculum stimulando, lædendoque, talia effecta post se relinquunt, ut inde vitium nostrum producat: pertinent huc multa corpora metallica majora minoraque, quæ sua figura acuta, pungente, secante, ventriculi tunicas irritant, rodunt, vulnerant, sicque inflammationes, vomitus cruentos, suppurationes, vomicas, indurationes,

---

(a) Vid. TOXICOL. p. 217.



nes, & similia producendo, exitum ventriculi angustiore red-  
dere, vel penitus claudere possunt, varia hujusmodi exempla,  
inter quæ nonnulla vix credibili modo feliciter terminata sunt,  
ex variis auctoribus Collegit Cel. SANDIFORT (a), homi-  
num scilicet, qui ossa piscium, acus, ligna, annulos, adaman-  
tes, cruces aureas, cochlearculos, vitri fragmenta, forcipes,  
cultra, lapides, aliaque dura & pungentia corpora, vel per im-  
prudenciam, vel per infelicem casum, vel quod pejus est oi-  
komania ducti sive lucrum faciendi causa, deglutierant; tantum  
autem abest, ut talia corpora in ventriculo humano hærentia,  
semper tam feliciter eliminari ex eo possint, ut potius semper  
homines, in quibus hæc locum habent, in summum periculum  
conjiciant, vitam subito vel lente cum misera morte commutan-  
di, & licet forte per stimulum, quo ventriculum afficiunt, vo-  
mitus creatur, cum eo eventu, ut per os redeant, sicque æger  
crederet, sese a causa malorum liberatum esse, vel alia via eva-  
cuarentur, talia tamen possunt remanere vitia, ut inde lenta  
mors per læsam ventriculi inferiorem partem, certo insequi  
debeat.

Porro inter hanc causarum occasionalium classem referri pos-  
sunt insecta varia deglutita, & ventriculum ingesta, sive eorum  
ovula, quæ excubata tandem animalcula fiunt, quo contuber-  
nio

---

(a) Bibliothec. Med. T, 2. p. 119. & seqq. & p. 727. & seqq.



nio sanitas multimodis læditur, de quibus ita loquitur GAUBIUS:  
*Primis hinc viis, a mole, numero, conglomeratione vermium, gra-  
 vitas, infarctus, obstructio, Ileus, a motu, reptatu, suctu,  
 irritamenta nervorum, nausea, vomitus, singultus, anxietas,  
 motus ventriculi & intestinorum inordinati, spasmi, ructus, fla-  
 vus, borborygmi, dolores varii ventris, tumores, alimenti coc-  
 tio perturbata, chyli absorptio impedita, alvus irregularis,  
 alias stricta, alias laxa, quandoque & rasio accedens excoriat,  
 inflammat, exulcerat, perforat, &c. (a).* Sic anno 1783, 10.  
 Aug., ad me venit Virgo quædam sexdecim annorum, con-  
 quæsta de dolore & duritie adlocum pylori, de vomitu & reje-  
 ctione cum anxietate summa omnium, quæ assumebat, emaciata  
 erat & pallidam habebat faciem, venter tumebat, menses defi-  
 ciebant, & alvus erat tarda; variis resolventibus hæc mala corri-  
 gere quum jam frustra per aliquod tempus tentaveram, tandem  
 ex pupillæ dilatatione aliisque signis suspicionem de vermium  
 præsentia aiebam, ad quos necandos expellendosque optima an-  
 tihelminthica ipsumque mercurium adhibebam, sed eo effectu ut  
 æque medicamenta ac esculenta & potulenta revomeret, & inter  
 vomendum hora matutina octava duodecimi diei mensis Novem-  
 bris

---

(a) Duos lumbricos teretes inter tunicas ventriculi invenit DAMIANUS  
 SINOPEUS. Vid. SWIET. *Comment. in H. BOERH. Aph. T. 4. p. 710.*



bris tres vermes teretes vivos rejiceret; quamvis propter metum ne forte topicum in Ventriculo vitium adesset emetica in usum vocare non ausus fuisset, & debilitata quammaxime esset ægrota, tamen evacuationem hanc jam promovendam esse judicabam, eoque scopo, Emulgeri sinebam Ase Foetidæ dr. ʒi. in aquæ RUTH. unc. viii., addique curabam tartari emetici gr. iv. Syr. Violar. ʒi., ut inde quovis bihorio cochlear sumeret ægrota; hinc intra quator dierum spatium octoginta quinque vermes teretes evomebat, multo mucō tenaci inhærentes, septemdecim per alvum evacuabat, cum levamine symptomatum, utebatur deinde pilulis amaris confortantibus & brevi læta gaudebat sanitate. Sine dubio mucō involuti hi vermes nodum composuerant, Pylorum obturantem, sicque omnem transitum ex Ventriculo in Duodenum prohibentem.

Idem certe locum habuit apud rusticum 45. annorum HENDRIK ANKERS dictum, qui per duodecim annos vomitu habituali laborabat, & quamvis etiam de dolore ingenti ad præcordia quereretur, nulla tamen mali topici signa in eo suspicabar, quoniam ab assumptis alimentis vel potulentis minuebantur dolores potius, quam augebantur, unde iterum de vermium præsentia cogitans infusum theiforme de Radice Ipecacuan: propinabam, eo felici cum eventu, ut tæniam quindecim ulnas longam, in nodum difficilem solutu convolutam evomeret, & a malo, habituali vomitu liberaretur,



(a) mirum est, quod in utroque hoc casu talis in ventriculo stimulus locum habuerit absque ut inde unquam generales systematis nervorum turbæ aut convulsiones ortæ fuerint, quæ ceteroquin fere semper inde observantur (b), qualem casum descripsit doctissimus LEMON in *Specim. Inaugurali*, ubi de puella agit 5. annorum, quæ præter conatibus vomendi irritis, etiam horrendis convulsionibus laborabat, quorum causa erat animalculum ventriculo degens, quod, vomitorio eliminatum, quamdam similitudinem habebat cum TIPULA AQUATICA LINN. (c), & cujus exempla bene multa adducere possemus; uti deliria (d) epilepsias (e) febres (f) convulsiones (g) &c. sed a foro nostro sic devialemus, ad quod itaque propius iterum accedenti jam agendum est.

## §. VII.

De illis, quæ non ita mole, non ita figura sua, sed potius qualitate causæ occasionales nostri morbi existere possunt, quo per-

ti-

(a) Sic vomitu vermium ab iisdem Symptomatibus liberatam puellam novem annorum Vidit Cl. J. WALL in *Litt.* ad Cl. LITTLETON N<sup>o</sup>. 66.

(b) De Emeticorum usu egregio ad expellendos Vermes optima existat dissertatio AUGUSTI GUILIELMI ROHN, præside Cl. VOGEL, *Gottingæ* defensa, cujus recensio invenitur in *Bibliotheca Med.* Cl. SANDIFORT, T. 6. p. 597.

(c) Vid. *Syst. Nat.*, T. 2. p. 732.

(d) *Ephem. Nat. Curios.*

(e) *Philosoph. Transact.* & ROSENSTEYN de morbis infant. c. p. 131.

(f) *Hist. Morborum Uratistav.* pag. 35, anni 1699,

(g) SAUVAGES *Nof. Meth.* T. 2. p. 2. p. 46.



tinent primo loco venena, secundo medicamenta, tertio potus & cibus noxius, quarto pravæ consuetudines.

Inter venena ventriculi inflammationem, dolores vehementissimos, ipsamque gangrænam producere potest (a) imprudens usus internus Cantharidum, sicque, nisi mortem subitanæm producit, erosiones, indurationes post se relinquere potest, ita ut callositates in ventriculo oriantur, isque functioni plane fiat ineptus. Idem malum producere potest si in ventriculum perveniat, Meloe majalis (b), Culex Lanio corpori ingesta similia symptomata producit (c), Buprestis, parvum est insectum, a quo eadem effecta ac a Cantharidibus observavit Cl. MORTI (d); & quamvis aranea domestica a multis animal non venenatum habeatur, ab experimento, a me ipso in cane instituto, horror, quem semper ab hoc insecto percepi, ita auctus est, ut deinde ulteriora inflituisse noluerim; scilicet araneam majorem inmisci in os canis mansuetissimi, qui dentibus illam comminuebat, unde primo linguam & fauces admodum inflammatas habebat, & si aliquid comedere vellet, vel bibere, cum clamore illud rejiciebat, deinde lingua nigricans ex ore pendeat, convellebatur animal, spu-

ma

(a) Vid. TRAILLES de usu vesicantium & tract. de venenis lectu dignissimus, qui præmium reportavit in Tom. 10. act. societatis servandis civibus, a doctissimis viris V. D. REM, & VAN LEEUWEN, conscriptus, uti & J. J. PLENCK Toxicologi p. 41.

(b) Vid. Göttinger Anzeigen anni 1778.

(c) Vid. Neue Nordische Beytragen, T. 2. p. 349.

(d) Dictata Medica, p. 24.



ma ex ore prorumpebat, & postquam per septem horas horrendum præbuerat spectaculum, sensim ad se redibat, unde concludi facile potest, quod in ventriculum usque, si pervenisset, ibi non minores turbas effecisset.

Inter venenata animalia, quæ nostro malo ansam præbere possunt, numeramus etiam Mutylos & Ostrea corrupta vel venenatis infectis scatentia, quum enim hæc anxietates, dolores ventriculi, vomitus, febres, convulsiones, efflorescentias in cute, & sic porro, causantur, nulla ratio est, quæ vetat, ne concludamus, quod etiam in ventriculo ad cuius parietes directe acrimoniæ stimulus applicatur, topica mala producere possent. Sicque plura dantur animalia, quæ supra memorata symptomata non tantum possunt producere, sed ipsas partes perforare (a), quæ omnia non adducemus. Uti etiam ex vegetabilibus numerus illorum venenorum, quæ huc spectant nimis magnus est, quam ut ex toto hic recensatur; videamus ergo breviter de nonnullis.

Præter alia symptomata, ardorem ventriculi, anxietatem, dolorem inflammatorium observavit Cel. BLOM in servo, qui radicem Hyoscyami Nigri comederat (b). Idem a baccis Taxi Cel. SELLE observavit (c): Inflammationem ventriculi leth-

(a) Vid. VOGEL de Coli vulnere genuino non lethali in T. 2. Thef. DISE. CL. SANDIFORT.

(b) Vid. *Acta Suecica* anni 1774.

(c) J. J. FLECK I. c. p. 107.



thalem ab haustu aquæ stillatiæ pruni Laurocerasi alii experti sunt (a). Poma Mancinellæ violentissimas turbas in ventriculo etiam excitant, ita ut, nisi statim inde moriatur homo, facile malum topicum nascatur. Hæc effecta a Nuce Vermica observavit F. HOFFMAN, aliique (c). Inter venena vegetabilia non debet omitti imprudens usus Atropæ Belladonnæ, quæ dolorem intolerabilem cum nisibus vomendi irritis aliisque symptomatibus huc spectantibus producendo nostro malo occasionem præbere potest (d). Cardialgiam, ardorem ventriculi, inanes vomendi conatus, meteorismos abdominis, singultum, sitim intolerabilem, aliaque nostro malo producendo apta symptomata, observavit WEPFREUS (e) in innumeris experimentis, quæ ad crudelitatem usque instituit & repetiit cum cicuta aquatica.

Varie Agarici species imprudenti dosi ingestæ idem efficiunt, præcipue autem Lactifluus & Necator (f). Subjungere inter hæc venena vegetabilia, quæ maximam attentionem merentur, opus est illa, quæ minima dosi aliquando in usum vocantur atque utilissima esse possunt remedia, emetica vel purgantia, sed, quæ paulo

(a) INGENHOUSE experimenta de vegetabilibus, p. 223. *Philos. Transf. Tom.* 70. p. 1. p. 210. MURRAY, *appar. Medic.* p. 216. T. 3.

(b) *Philos. Transf. T. 1. pte. 2. p. 277.*

(c) *Syst. Med. rat. T. 4. p. 385.*

(d) Vid. MURRAY *appar. Medic. T. 1. p. 430.*

(e) *Hist. & Nex. cicuta aquatica p. 113. & seq.*

(f) Vid. FLECKER L. C. p. 132. & seq.



maiore quantitate exhibita ventriculum lædunt, inflammant, vomituritiones, singultus, anxietates, vomitum cruentum producunt, parietes ventriculi rodunt, exedunt, sicque ulceribus, gangrænis, vel indurationibus insanabilibus viam sternunt; huc pertinent Semen Sabadilli (a), Colchicum Autumnale (b), Digitalis Purpurea (c), & Oenanthe Crocata, cujus herbæ infelicissima effecta in duobus hominibus Hagæ comitam observavit s. v. D. WIEL (d), aliaque bene multa, quæ nimis magno numero sunt, quam ut hic recenseantur, sed de quibus consuli iterum merentur egregius tractatus de Venenis Doct. v. D. EEM, & v. LEEUWEN & auctores ibi adducti (e).

Inter venena jam tandem tertio loco breviter notanda sunt illa, quæ in regno minerali occurrunt & ventriculi affectus morbosos gignere possunt. Inter illa sunt, quæ mechanica vi agunt pungendo, inflammando, vulnerandoque ventriculum; illa autem hic non debent in censum venire, quum jam enumerata sunt, ubi de hæterogeneis corporibus deglutitis, quæ sua mole vel forma nocebant, mentionem fecimus: dantur autem etiam talia, quæ non ita sua figura, quam acrimonia,

no-

---

(a) SCHMUCKER *vermischte Schriften* T. 2. p. 271.

(b) STORK *de Rad. Colch. Journal de Medicine* T. 23. p. 20 & seq.

(c) *Pharmac. Chirurg.* p. 273.

(d) *Obs. rarior.* T. 1. p. 182. & seq.

(e) T. 10. *Act. Serv. civib.*



nostro malo producendo apta sunt, pertinent huc acida concentra-  
ta, salina, nitrosa, vitriolica (a); neque illa, quæ alcalina acri-  
monia, gaudent excludere hic oportet (b). Sic remedium quæ-  
rebat homo contra rabiem caninam in majori haustu spiritus Sa-  
lis Ammoniaci, unde inflammatis, quascumque attigerat, parti-  
bus, subito moriebatur (c). Ipse decimo tertio mensis Julii, anni  
1784. vocabar ad Cerevisiarium, qui spiritum juniperi aliquan-  
do etiam nimia copia assumebat; hic homo labore fatigatus, &  
maxime sitiens, loco cerevisiæ, lagenam lixivio Tartari saturatissimo  
plenam ori admoverat, ejusque liquoris haustum magnum jam  
deglutierat, antequam suum detegerat errorem, sapore non  
valde acuto gaudens. Querebatur de intolerabili ardore in  
ventriculo atque dolore, de anxietate & irritis vomendi cona-  
tibus; haustum majorem aceti primo propinabam, deinde  
aquam aceto acidulatam multam superbibendam jussi; flatus  
ingenti vi prorumpebant, dolores minuebantur atque ardores,  
cum cessatione conatum vomendi, brevique tempore conva-  
lescebat; potuisset tamen error hic occasionem subpeditasse, ut  
arrofa intima tunica, malum topicum in ventriculo ortum esset.

Eadem mala veteres jam observarunt ab usu Vinorum, quæ

vel

(a) Vid. F. HOFFM. *Syst. Med. rat.* Tom. 2. p. 289, & seq.

(b) Vid. *Sammlung für Aertz*, Tom. 7. p. 1.

(c) MARTINET Expériences sur les propriétés de l'alcali volatil fluor.



vel infortunio, vel mortis pœna dignissimo scopo lucrum faciendi, labem venenatam ex Cupro vel Plumbo contraxerunt (a); Arsenicalia non minori periculo gaudent, imo omnium periculosissima esse videntur, quare, si quis ad eorum usum internum concludat, maxima circumspectione & prudentia illi opus esse, patet (b), neque periculo caret imprudens usus illorum Fossilium, quæ vulgaris magis sunt usus, Mercurialium nempe, atque Antimonialium; sic inflammationem ventriculi a Vitro Antimonii observavit FR. HOFFMAN. (c) &c.

## §. VIII.

Juxta ordinem supra propositum consideranda jam sunt Medicamenta nonnulla, quæ in ventriculum ingesta ansam nostro malo præbere possunt, in horum autem recensione non longi erimus, quoniam mala illa effecta in ventriculo a medicamentis nonnullis producta, non ita ab ipsis directe dependent, sed potius debentur modo, quo præscripta sunt, v. g. si nimia quan-

(a) ANAZARBÆUS *Lib. 7. Cap. 27.* CASALBINUS *Lib. 3. Cap. 24.* BORELLUS *Cent. 4. obs. 32. Miscell. Nat. Curios. dec. 1. anno 3. p. 131. dec. 3. anno 4. Observ. 92.* & FR. HOFFM. *in Dissertatione de metallurgia morbifica & Syst. Med. rat. T. 4. Sect. 2. Cap. 3. obs. 3.*

(b) Vid. CELSUM de occurendi ratione morbis a mineralium abusu oriundis, pag. 12. & 30. ZELLER de *Vinis Lythargirio mangonifatis & Ephem. Naturæ Curiosorum Dec. 3. obs. 100.* & SWIETEN *in Aphor. BOERH. T. 3. p. 149.*

(c) L. c. Sect. 2. Cap. 3. p. 381. ut & T. 2. p. 238. & LINDENSTOLPE pag. 81.



titate sunt data, vel si Medicus perversam de causa cujusdam mali, quod curare vult, formaverit diagnosin, vel si quædam accedant conditiones, quas prævidere non potuit. Inter illa autem medicamenta præcipue pertinent Vomitoria omnia, quæ, si nimia quantitate sunt data, ventriculum nimis convellunt, mucum omnem abradunt, ardorem & dolores causant, vel male præparata; vel in casibus, ubi non conveniunt, v. c. ubi nimia sanguinis quantitate vasa ventriculi turgent, vel dispositio ad inflammationem in eo vel adjacentibus partibus adest (a) vel malum topicum in ventriculo pro pituita tenaci salutatur (b) vel quædam accedant conditiones, quæ faciunt, ut sub actu vomitionis nimiam vim patiatur ventriculus, quo pertinent sensibilitas nimia, sive naturaliter adsit, sive ab acrimonia quâdam producat, v. c. si acidum diu in ventriculo locum habuerit, unde abrafo mucosissima nervea est; vel si ipsa intima læsa est, unde per usum vomitorii talis pars tantum patitur, ut inde inflammatio, ulceratio, & aliæ sequelæ nostro malo creando aptæ nascantur; hocque non tantum de remediis emeticis locum habet, sed etiam verum est de aliis bene multis, præsertim de illis, quæ stimulo quodam agunt, uti sunt acida, adstringentia, stomachica, præcipue spirituosâ calida, quæ in his casibus,

---

(a) F. HOFFM. L. C.

(b) Vid. Observat. ultimam.



bus, & ubi mala dispositio in ventriculo vel adjacente quadam parte locum habeant, pessimas sequelas producant.

## §. IX.

Jam tandem pervenimus ad ultimam classem illarum causarum occasionalium, quæ directe in ipsum ventriculum agunt, nempe ad Cibos & Potus, quæ quantitate vel qualitate nocere possunt.

Expansus per nimiam ingestorum ciborum molem ventriculus diversis admodum malis obnoxius est, possunt enim fibræ musculares inde ita extra tonum expandi, ut dein sese contrahere nequeant, & sic incurabilis supermaneat ventriculi paralyfis, ita, ut ad contritionem, permixtionem, solutionem, dilutionem & expulsionem non amplius aptus sit (a), dum disrupti quoque per nimia quantitate ingestos cibos exempla non desunt (b), quamvis tamen rarius ad hunc gradum hæc symptomata perveniant: attamen a nimia illa ingestorum mole attritus ad internam tunicam nimius est, inde mucus abraditur, & tenuissima vascula exhalantia, atque ductuli excretorii glandularum, nec non oscula vasorum absorbentium læduntur, præcipue si, clausa Cardia, Ventriculus sese fortiter contrahat, & cruda per Pylorum vi propellantur, unde valvula illa multum patitur, & prin-

(a) Vid. SWIETEN. Comment. T. 3. p. 367.

(b) Vid. BOERH. Hist. Morbi atroc. & acut. HARLEM. T. 3. parte 2. p. 219.



principia inflammationum, ulcerationum & indurationem nascuntur.

A nimia fluidorum ingurgitatione non ita gravia mala statim nascuntur, quia Ventriculus istud onus facilius sursum deorsumque evacuare potest, si autem hoc sæpius fiat, pro ratione indolis, quam illa fluida habent, diversimode male afficitur, uti paulo inferius patebit, ubi de cibis & potibus qualitate peccantibus & nocentibus sermo erit.

Ut autem a nimia copia ingestis cibis potibusque mala memorata provenire possunt, sic etiam plenaria abstinentia vel nimis parca diæta non minoris momenti, æque in ipso ventriculo ac extra illum producunt mala (a), armoniam enim inducunt liquores menstrui, qui in primæ digestionis officinam confluunt, si novis ingestis non commisceantur, hinc perversus in ventriculo producit stimulus, oriuntur nausæ, ructus cardialgici, vomitus materiæ acris corruptæ, quæ rodendo tunicas dolores producit, arrodit papillas nerveas, cardialgiæ inde molestissimæ frequenter observantur, & quamvis locus dolorum sese potius in superiore ventriculi parte manifestet, uti sensibilissima, facile tamen est perceptu, quod propria gravitate versus inferiora ventriculi fluentes hi acres & corrupti humores etiam ibidem pravos effectus edere debeant, ut taceamus de illis malis, quæ inde non

tan.

---

(a) Vid. GAUB. Inst. Pathol. §. 453.



tantum in adjacentibus partibus, sed quoque in tota oeconomia nostri corporis redundare possunt (a).

## §. X.

Jam videamus de Cibis & Potibus qualitate sua ita operantibus, ut inde in Ventriculo mala impediti transitus ex eo in Duodenum nasci possint; pertinet huc primo diuturnus farinaceorum siccorum glutinosorum usus, unde tenax nascitur chymus & mucus non facile resolvendus in glandulis stagnat, hinc tumores glandularum præternaturales & indurationes totius substantiæ ventriculi tunicas constituentis, quæ mala ab accedente sedentaria vel non admodum laboriosa vita multum augentur (b). Sic etiam pinguium abusu obstructions in ductulis excretoriis nascuntur, secretionum itaque & excretionum impedimenta, quia minora vascula intrant, sicque aquosis humoribus per ea excernendis transitum negant (c), dum rancidam corruptionem subeundo, cardialgias, arrosiones intimæ tunicæ, eructationes ardentes, vomitus, inflammationes, & sic porro creando, ventriculi substantiam degenerationi prævæ tradere possit. Huic autem si jungatur abusus ciborum, qui facile in putridinem vergunt, acrimonia pes-

(a) Vid. HIPPOCR. sect. 1. §. 4. & 5. Sect. 2 §. 7. Sect. §. 1. 13. NEPOS. in *Vita Attici* KEIL. *Med. Hydrop* p. 43. HALLER *prælect. ad Inst. Med.* BOERH. §. 456. ELEM. PHYSIOL. T. 6. sect. 4.

(b) Vid. Obf. Primam Cap. ultim.

(c) Vid. GAUB. *Instit. Pathol.* §. 459.



peffimæ indolis nascitur, quæ in ipso ventriculo multifaria mala, inflammationes, corruptiones, gangrænam caufatur, & totum corpus cito destruit (a).

Ad nostri mali autem causas occasionales non minus frequenter acidorum & acescentium abusus suam symbolam confert, in delicatis enim inde vis ventriculi debilitatur, diutius, quam par est, quævis ingesta in eo morantur, abraditur, si acrius fiat acidum, mucus, unde colicæ ventriculi molestissimæ (b), ructus materiæ acescentis & vomitus (c), expansiones vaforum, constrictiones, tumores serophulosæ, ulcerationes in glandulosis partibus, præcipue si locum habeat fructuum horæorum non maturorum abusus, unde acidum austerum peioris indolis produci- tur acrimoniæ spissitudinem adjungens, humorum coagula, tardior eorum per suos canales transitus, infarctus, obstructions refractariæ, secretionum & excretionum impedimenta, tumores inde frigidi vel inflammatorii quandoque, qui omnem transitum ex ventriculo in duodenum impedire possunt.

Mellita quoque & saccharata, quamvis in morbis hypochondriacis ad solvendam spissitudinem atrabiliariam egregii sint usus, si imprudenter adhibeantur, acidum acerrimum producant, mu- cum

(a) Vid. HIPPOCR. sect. 6. §. 33.

(b) Vid. HALLER. elem. Physiol. T. 6. sect. 4.

(c) Vid. OBS. de Sana & Morbosa œsophag. structura, pag. 62. & seq. & Cap. hujus stat. ult. Obs. 1. & 2.



cum naturalem nimis attenuant & solvunt, unde nudi fiunt villi, relaxantur fibræ ventriculi musculares, concoctio pigra redditur & appetitus prostermitur, dum rodit oscula glandularum excretoria obstructionsque in illis producit: lactis usus immodicus, si talibus adjungatur, nostri mali causam occasionalem fieri posse, sequens observatio docebit.

Præterita hieme ipsis mensis februarii Kalendis vocabar ad Virginem viginti octo annos natam, delicatæ quidem sed cæterum sanæ constitutionis, regulariter quoque menstruantem: narrabat, sese jam per aliquot dies tussi catharrali laborasse, quam dulciariis multis domare fuerat conata, & ingurgitatione lactis melliti pro maxima parte superaverat; sed jam symptomata alia quædam adesse quæ molestiora sibi erant, quam tussis ipsa: querebatur scilicet, de appetitu prorsus deleto, de dolore obtuso gravativo in inferiore ventriculi parte, præcipue si hic locus premeretur, de expansione flatulenta ventriculi, eructabat materiem acidam acerrimam, revomebat quævis ingesta cum cardialgia molestissima, &c.; diagnosi horum symptomatum quum mihi non admodum obscura videretur, curationem Antacidis, Absorbentibus, Saponaceis cum Rhabarbaro perficere tentabam, sed frustra; pertinaciter manentibus supra memoratis phænomenis, revomebat quævis ingesta cum acri acido & caseosis lactis corruptæ grumis, alvus erat strictissima, & quæcumque etiam, huic solvendæ destinata remedia, irrita erant & redibant

per



per os, quare illam aliquando ope clysterum elici curabam; obstaculum jam firmum in exitu ventriculi adesse, augurari satis facile potui, & quum neque externa, neque interna hucusque in usum vocata, fomenta atque cataplasmata dolores aut tumorem ventriculi vel minimum minuerent, hæcque jam per novem dierum spatium durassent, & incipientis atrophie cum pulsus debilitate non obscura monstrarent signa, ad heroicum in horum phænomenorum præsentia confugere audere melius judicabam, quam miseram suæ sorti relinquere, & eventum nimis labefactatis ad vincendum hunc hostem naturæ viribus solis tradere, tutiusque in hoc casu ad tale remedium confugi posse putabam, quoniam vero similis erat, quod memorata symptomata suam originem deberent contentæ cuidam in ventriculo materiæ, quam morbosæ ipsius substantiæ mutationi, adeoque ab emetico, ceteroquin in morbo nostro dubio sæpissime remedio, auxilium jam expectabam, & eventus spem non fefellit, nam ab infusione Rad Ipecacuannæ cui olei quartam partem addi curaveram, (a) evomuit multa lactis coagula & materiem acidam acerrimam, quæ tandem sub horribili anxietatum & mori-

bun-

---

(a) Etsi in aliis morbis, ubi emetica indicantur, usus olei non valde suaderi debeat, in hoc tamen, duplici scopo poterat utilis esse, nempe involvendæ acrimonie acidæ, & demulcendæ tunicas jam maxime per morbum & per remedia irritatas.



bundæ spectaculo, insequabatur frustum majus, tenax, instar casei durum, ita, ut vix digitis dirumpi posset; formam hoc frustum habebat eandem, quam ventriculus prope pylorum, & dum suffocationem in œsophago hærens minabatur, sic rejecto in deliquium animi incidebat ægra, quo cessante sese maxime levatam profitebatur, sed simul valde fatigatam sentiebat: propinabam mixturam anodynam mucilaginosam, quam bona quies insequabatur & nullum prius memoratorum symptomatum, sensimque refocillatis ventriculi & totius corporis viribus sana dein vixit.

Certo certius accumulata illa lactis coagula ad pylorum ita fuerunt, ut omnem transitum aliis rebus non tantum impederint, sed etiam a se invicem a solis naturæ viribus dissolvi haud potuerint, & nisi, per vehementissimum motum stimulo emetici productum, rejecta fuissent inevitabilis atrophie fuissent causa: per alvum deinde etiam multa frustra intestinorum formam habentia, quæ similiter caseosam substantiam habebant, rejecit.

## §. XI.

Variae porro qualitatis potus ventriculo ita possunt nocere, ut morbi nostri occasiones subpeditentur, quo pertinet imprimis abusus potuum aquosorum calidorum, qui hodie, proh dolor! nimis pervulgatus est; fibrosæ inde ventriculi partes relaxan-



laxantur nimis, atque debilitantur, succus ad solutionem ingestorum ceterum aptus, ultra modum diluitur, suam vim saponaceam perdit, mucus naturalis in ventriculo ita necessarius abluitur & abstergetur, unde nervea sensilissima a quibusvis ingestis inimice stimulat, inde dolores cardialgici & etiam ad pylorum, quod quotidie in infusionis Caffæ & Theæ amatoribus offendere datur, spasmos patiuntur ad præcordia, oriuntur acrimoniæ succi gastrici & etiam totius massæ humorum, a-pepsia (b), obstructions æque in aliis Corporis Humani partibus, quam in ipsis ventriculi glandulis, quæ inde in solvi nescias indurationes transire, & sic Cardiam, vel Pylorum, sua mole, claudere possunt (c).

Contrariæ indolis potus abusus nempe spirituosus non minus perniciosas nostri mali fomites producere potest, quod ratio docet, & confirmavit nimis experientia: primo intuitu stimulare hoc viscus solent ad diligentiorum digestionem atque concoctionem, quod verum utique est, & utile esse potest in eo casu, ubi languet vis ventriculi coctrix, & naturali acriorem stimulum poscit, sed etiam hoc scopo si spirituosus in usum vocantur, summa

ma

---

(a) Ex abusu acidorum callosam ventriculi indurationem vidit III. A. HALLER opusc. pathol. p. 44. & seq.

(b) Vid. HILBANUM Cap. 5. Obs. 35.

(c) VAN GEUNS Act. Harlem. Tom. II.



ma prudentia opus est, ceteroquin pessimæ inde nascuntur sequelæ, quæ enim aliquoties repetita dosis in initio scopo bene satisfaciebat, consuetudine non amplius sufficit, paulo majorem haustum sponte lubenter assumunt, qui itidem consuetudine non plus præstat prius sumto, augetur tandem ultra modum quotidiana dosis, unde constringuntur ventriculi tunicæ, obstruuntur ductuli excretorii, villi læduntur, erosa interna tunica, nervi tenuissimi destruantur, sicque ventriculus vel pro parte in morbosum statum mutatur, vel totus contrahitur (*a*), ita ut crassiores & duriores ejus sint tunicæ, capacitas multum minuatur (*b*) (\*), & ad functionem concoctionis plane ineptus fit (*c*), sicque prostrata omni ciborum appetentia potu tantum vivatur (*d*), & miseri bibones vel acutis vel chronicis ventriculi malis soleant perire.

Porro

(*a*) In spiritus vini amatoris cadavere crassiores tunicas & Ventriculum admodum contractum duriusculum invenit Cl. LOCHELLE. Vid. *Hist. de l'Acad.* A 1706. *Obs.* p. 36. & sq.

(*b*) Sic PECQUETUS nucem avellanam magnitudine non superantem ventriculum invenit in bibonis cadavere. Vid. BOERN. *Prax. Med.* T. I. p. 54.

HALLERUS in vetula intestino non latiore ventriculum vidit, in alia duodeno ipso angustiorum.

(\*) Non autem semper, dum contractum plus solito in cadaveribus ventriculum invenimus, abufui potuum spirituosorum tribuere illud debemus, dantur enim observationes, ubi ventriculus instar intestini erat contractus, & nulla de hoc abufu mentio fit. Vid. SANDIFORT *Bibliothec. Med.* T. 7. p. 160. & 161. ipse etiam in sobria muliere annosa abcessu hepatis magno defuncta ventriculum admodum contractum invenit, quam historiam in posterum communicare animus est.

(*c*) Vid. METZGER *Advers. Med.* p. 175.

(*d*) Vid. GAUB. *Inst. Pathol.* §. 476.



Porro uti qualitates potuum noxiæ ad formandum angustum ventriculi exitum conferunt, sic etiam peccari potest gradu caloris, quo gaudent, qui ingeruntur: si quæ assumuntur potulenta nimio caloris gradu gaudentia, quod de Theæ & Caffæ infusione sæpissime fit, vias, quas pertranseunt & ventriculum, in quem descendunt, nimio afficiunt fervore, inde partes teneriores amburuntur, crispantur, inflammationem suscipiunt, excoriatur interna tunica, unde non fieri potest, quod inde non oriantur dolores ventriculi vehementes, constrictiones fibrarum spasmodici, siccitates, indurationes, ulcerationes, scirrhi, cancri &c.; & quum jure merito dixit Cl. GAUBIUS ob partium majorem teneritatem eadem effecta ab haustu fervente nimis in internis produci partibus, ac vivi ignis in externa cute (a), ideo tanta mala in tota via, quam attingere tales potus solent ab anatomicis sæpius observata sunt, & præcipue quidem in œsophago (b), quum hic primo momento & idcirco maximo gradu afficitur, attamen etiam in pyloro indurationem atque coarctationem invenire licuit in cadavere hominis, qui potui nimis calido multum indulserat (c).

A potu nimis frigide hausto eadem mala produci posse cum  
Cl.

(a) Inst. Pathol. l. c.

(b) Vid. VAN GEUNS & NAHUYNS in Act. Harlem, T. II.

(c) Vid. Prælect. Cl. Præceptoris OOSTERDYK ad Instit. Pathol. Cl. GAUBII §. 575.



Cl. GAUBIO (a) credimus, & observationes ab imprudenti ejus usu pravorum effectus secutos esse ad manus sunt (b); attamen rarius in hoc peccatur, & si prudenter administratur non solum fertur facilius sed etiam nonnullis valde utilis esse potest frigidorum assumptio, dum tali in casu potius nocet, ubi corpori valde æstuanti nimis cito gelida ingeratur, in quo casu, juxta Cl. GAUBIUM (c), potus glaciales fibras irritant, poros constringunt, vasa arctant, humores coagulant, dolores, spasmos, obstructions, inflammationes, variaque circuitus secretionis excretionis impedimenta, tum in his ipsis, tum consensione etiam in aliis partibus efficiunt, unde toties ex hac causa anginae, pleuritides, ventriculi inflammationes dolores, &c. quæ ansam angustationi pylori præbere possunt.

## §. XII.

Tandem inter hanc classem causarum occasionalium numerare debemus ingestionem talium corporum indigestilium, qualia Pica laborantes, prava consuetudine, depravato appetitu, assumere solent, dantur sic pueri in scholis, qui chartam scriptoriam magna quantitate devorant, unde notabilem obstructionem, py-

---

(a) *Inst. Pathol.* p. 239.

(b) Vid. ST. V. D. WILK, T. I. *Obs.* 27.

(c) L. C.



pylori vidi octo dies durantem, vomitu tandem solutam.

Pertinet etiam ad has pravas consuetudines deglutitio fabarum caffè, aliarumque rerum indigestilium, quas virgines chloroticæ male sanæ appetunt, sic dantur etiam infantes quadrimi aut quinquimi cacochymi, qui lutrum, calcem, cementum vorant; aliæ majores natu chlorosantes corium, linteum, fuliginem, candelas comedunt; dantur, quæ albis cretæ, aliæ, quæ nigris carbonum ex officina ferraria ferculis delectantur, ut taceam de lithophagis, de quibus antea vidimus, & de sordido Hottentottorum pediculos locustasque comedendi more, & de aliis, qui excrementa propria vel stercorea equina in deliciis habent (a), quæ huc proprie non ita spectant; sponte tamen hinc patet, quod etiam abusus medicamentorum terrestrium huc conferre potest, dantur enim observationes, quæ docent, quod inde lapideæ concretiones in ventriculo natæ sint (b) (\*).

### §. XIII.

Absoluta jam illa classe, in qua tales nostri mali occasionales causas consideravimus, quæ forensibus ingestæ directe in ipsum ven-

(a) Vid. Cl. SEGAR *Syst. Morborum Cl. 6. ord. 2.*

(b) Vid. ESCHENBACH *Observ. Med. Chirurg. pag. 46.*

(\*) Forte quis mirabitur, me omnes has causas occasionales vocare, quum inter illas, & quoque inter sequentes etiam sunt, quæ potius ad prædisponentes pertinere videntur; sed agimus non tantummodo de angustia pylori ex induratione, aliave ejus degeneratione chronica; agimus in genere de impedito progressu alimentorum, &c. & observationibus constat quod etiam a supra memoratis causis hoc malum acutum produci potest, adeoque revera in illis casibus occasionales sunt.



ventriculum agunt, sequitur nunc illa, in qua enumerandæ venient tales conditiones, unde quidem ipse, sed non ita immediate, læditur; ad quas pertinent acrimoniæ cujusvis fluxus vel depositio in ipsius ventriculi partibus, sic a materie scrophulosa ad glandulas ventriculi fluente obstructions notabiles, indurationes, atque degeneraciones tales possunt oriri, ut via ex ventriculo in duodenum inde penitus præcludatur (a), eodem modo hoc locum habere potest, si ad ventriculum transferantur acrimonia scrophulosa, rachitica, calculosa, venerea, cancerosa, arthritica, podagrica, & sic porro (b); secundo loco huc pertinent evacuationes suppressæ, præcipue vero mensium, hæmorrhoidum, & materiæ perspirabilis (c): nemini ignotum est, quod virgines defectu mensium laborantes violentas ventriculi turbas subire solent, vomitus non compescendos, ipsos cruentos, imo plenariam tandem pylori obturationem (d); ante triennium lethalem impeditum alimentorum ex ventriculo in duodenum transitum vidi in pago *Boskoop* in viro quinquagenario, qui initia duxerat, postquam solitus hæmorrhoidum fluxus debitum non esset fortitus effectum, atque tristes progressus, fecerat cum harum plenaria cessatione.

A

- (a) Vid. HALLER. *Opuscul. Pathol.* p. 45. & seqq.  
 (b) Vid. *Obs. de Sana & Morbosa Oesophag. Structura* pag. 46.  
 (c) *L. C.* pag. 50.  
 (d) Vid. Cl. HENRY in *Recueil periodique* T. 7. p. 380. & SCHURICUM in *parthenologia*, pag. 96. & seq.



A perspiratione suppressa initia & progressus ejusdem mali derivanda puto in homine quadragenario, quem cum infelici pariter eventu in pago *Bergambacht* curandum habui, de quibus autem in ultimo capite latius; adducere autem hoc loco illa exempla breviter volui, ut inde confirmetur, quod suppressæ evacuationes etiam in causa nostri mali numerari merentur. Simili modo si imprudens exanthematum vel efflorescentiarum cutanearum fiat ad interna repulsio, ventriculus inde affici potest, si materies excernenda huc feratur; vomitum continuum omnium alimentorum æque ac potulentorum cum doloribus ventriculi validis vidi in juvene viginti octo annorum, qui cæterum sanus semper vixerat, adjungebant sese huic malo etiam nervosi systematis turbæ insultusque epileptici per duodecim & ultra horas durantes, quorum causam non eruere primo potui, sed tandem mecum communicavit, sese scabie fuisse correptum, & intra triduum a spurco hoc malo per linimentum a pharmacopola quodam sibi propinatum, liberatum fuisse, & ante illud tempus sese nunquam modo memoratis malis correptum fuisse, à quibus per insitionem scabiei iterum liber factus est, remanente tamen ad hunc usque diem dolore ad pylorum & subinde etiam vomitu.

Absolutis sic, quæ dicenda putabam de illis causis occasionalibus, quæ, vel forinsecus directe in ventriculum ingestæ, vel aliunde ex quadam corporis parte adductæ, ansam nostro malo præbere possunt, jam videndum erit de istis impediti alimen-



torum ex ventriculo in duodenum caufis, quæ in ipsius visceris morbosa conditione fitæ sunt, quas diversæ iterum indolis esse ex fequentibus patebit.

§. XIV.

Si illa, quæ in præcedentibus paragraphis de fabrica situ & functione ventriculi diximus in memoriam revocemus, si attendamus ad illas, quibus obnoxium eum esse, injurias, demonstravimus, non necesse erit, quod multis demonstrem, ventriculum non minus ac alias corporis humani partes inflammatione corripisse, illumque morbum vel sua præsentia, vel etiam (si revelascant absque felicissima resolutione ægrotantes) suis sequelis, impeditum alimentorum transitum sæpissime efficere; symptomatica nimirum, quæ in præsentia gastritide adsunt, primaria consistere solent in dolore acutissimo continuo cum febre acuta continua, aucto immaniter dolore ad contactum quorumvis ingestorum, cum nausea continua, atque indomabili vomitu, quoque blandissimorum potuum, qui in aliis inflammationibus utilissimo scopo & effectum larga manu exhiberi solent; GALENO jam notus sub hac forma ille ventriculi morbus fuit, & magnum ejus causarum numerum in variis paginis in Lib. de locis affectis describit; & CORN. CELSUS (a) optime de eo egit, sed

---

(a) Vid. De Medicina, Lib. 4. Cap. 5.



divi BOERHAVII immortalis discipulus & commentator SWIETENIUS (a) tam plene illum morbum tractavit, ut de hoc differendi non amplior materia supersit, neque Systematici illum superviderunt, sed optimi eorum varias ejus species nobis exhibuerunt, uti L. RIVERIUS (b), F. HOFFMANNUS (c), BOERHAVIUS (d), VOGELIUS (e), B. DE SAUVAGES (f), MACBRIDE (g), LUDWIG (h), & præcipue breviter & egregie atque distincte illius descriptionem exhibuerunt Clarissimi viri, JOH. OOSTERDYK SCHACHT (i), N. G. OOSTERDYK JOH. FIL. (k) venerandus mihi semper præceptor; nec non JOH. BAPTISTA MICHAEL SAGAR (l), ita ut nobis sufficiat, pro causa nostri mali illam solummodo recensuisse, sequelas jam ulterius examinaturis; abit enim, nisi felicissima fiat resolutio, in abcessum, sicque saccum format purulenta materia plenum, qui, si in fundo ventriculi vel ad pylorum adsit, om-

- 
- (a) Vid. Comment. ad Aphor. BOERH. T. 3.  
 (b) Prax. Med. Lib. 9. Cap. 9.  
 (c) L. C. T. 2. pag. 121.  
 (d) Aphor. de Cogn. & Cur. Morb. §. 951.  
 (e) Prælection. Academ. §. 202. & seq.  
 (f) Nosol. Method. T. 1. pag. 476.  
 (g) Introd. Method. in Theoriam & Praxin Med. T. 2. pag. 283. & seq.  
 (h) Instit. Clinic. Sect. 5. §. 344.  
 (i) Inst. Med. Pract. p. 205. & seq.  
 (k) Præcept. Med. Pract. pag. 194.  
 (l) Systema Morborum Symptomaticum, pag. 673. & seq.



nem viam in duodenum claudere potest, & vel dirumpitur & totum ventriculum pure repletum reddit, qualem observationem notavit olim J. V. MEKEREN, (a) vel vomitum relinquit perpetui vomitus causam, uti observavit Cl. MEAD (b) alii- que, vel excoriationes tunicarum & indurationes atque dege- rationes totius substantiæ remanent, (c) ita ut etiam pylorus exulceratus & in cartilagineam duritiem mutatus visus sit (d), vel etiam exitus huius morbi in sphacelum lethalem esse idem observavit J. VAN MEKEREN (e).

Alii etiam inflammationem ventriculi in gangrænam termina- tam viderunt, ita, ut post mortem in cadavere clausus inveni- retur pylorus, & ventriculi tunicæ perforatæ (f), dum dirup- tum etiam post inflammationem ventriculum in cadavere puellæ quatuor annorum in venit Cl. DE WIND (g).

Ad causas nostri morbi in ipso ventriculo locum habentes perti- nent quoque excoriationes tunicæ internæ (h), sive ab acri ma-  
terie

---

(a) Obs. Med. Chirurg. Obs. 44.

(b) Monita & Præcepta Med. pag. 114. 5.

(c) Vid. Cl. V. D. MONDE, *Recueil periodique d'observations de Medicine*, T. I. p. 428. & SWENKE de *cicuta aquatica*, pag. 17. & seq.

(d) Vid. ODONTAT DEZMOS in *Journal de Medicine*, T. II. p. 409.

(e) L. C. Obs. 46.

(f) BARON in *Memoire de l'Academie*, T. I. p. 383. confer. Cl. ZIMMERMAN de morbo nigro, pag. 12. & seq.

(g) AB. HARLEM. T. 8. pte. 2. p. 215.

(h) Vid. MORGAGNE de Sed. & Caus. morb. Epist. 29. §. 30.



terie in ventriculo hospitante productæ (a), sive a decidentibus aphthis, ut observavit Cl. COOCH (b) & etiam ab aliis est notatum (c), sive venenorum deglutitio hoc præstiterit (d), sive morbo prægresso hoc debeat (e), in omni enim casu irritantur nimis delicatiores ventriculi partes, unde dolores summi, eructationes, conatus vomendi, glandularum inflammationes earumque sequelæ, quippe quæ in enumeratione harum causarum notabilem locum merentur, frequenter enim ab obstructione glandularum minimarum natæ sunt indurationes glandularis ventriculi tunicæ, ejusque variæ indolis degeneraciones; notavit talem indurationem & intumescenciam æquabilem in fundo ventriculi Cl. HEURMAN (f), similem observavit in curvatura minori in homine pertinaci vomitu defuncto Cl. CHIFFLET (g), totam ventriculi glandularem tunicam insigniter crassam atque induratum in homine, qui dum viveret spiritus vini abusu in vomitum lethalem incidere, vidit Cl. PLANCUS (h), similes observaciones habent BLASIUS (i) & STORCK (k) aliique.

Non

(a) Vid. Observ. nost. de sana & morbosa Oesophagi structura, pag. 62. 63.

(b) Obs. Chirurg. T. 2. p. 103.

(c) Journal de Medicine, ann. 1761. mens. Martii.

(d) Vid. supra Cap. 2. pag. 65.

(e) Vid. A. CAPPAD. de Morb. Chron. Cap. 2. p. 61.

(f) Vid. Opera T. 3. p. 437.

(g) Observ. 27.

(h) Academ. Conjectur. pag. 101.

(i) Observ. 9.

(k) Ann. Med. 1. pag. 205.



Non raro autem fit, ut hæc indurationes in ulcera maligna transeant, & sic etiam peiori gradu morbus noster inde nascatur, observavit talem ventriculi ulcerationem F. HILDANUS (a), ventriculum totum valde crassum & durum in viro vomitu alimenterum post aliquot a prandio horas defuncto MORGAGNE (b), ulcerationes indurationibus hisce adjunctas in aliis vidit idem fide dignissimus & accuratissimus Observator (c), ab apostemate frigido in abcessum mutato morbi nostri symptomata quoque vidit P. FORESTUS (d) & immortalis SWIETENIUS (e), unde jam sponte pervenimus ad aliam iterum causam nempe ad tumores varii generis, quæ in ventriculo adeste ibique iter transmittendis cibis præcludere possunt; sic tumor œdematosus ventriculi lethalem vomitum produxit, juxta observationem R. FORTIS (f); simile quid effecit tumor scirrhusus ovi magnitudinis, ab HEURMANNO in ventus (g) in cadavere senis tabe sicca defuncti, cisticum tumorem in ventriculo invenit MORGAGNE, (h) a tuberculis scirrhusis in ventriculo morbum

nos-

(a) Lib. 3. Obs. 20.

(b) Vid. de Sed. &amp; Caus. Morbor. Ep. Anat. Med. 29. §. 6. &amp; seq. Epist. 39. §. 26.

(c) Epist. 29. §. 12.

(d) Obs. Med. Lib. 18. Obs. 32.

(e) Tom. 3. pag. 151.

(f) Consul. &amp; Respons. Med. cent. 2.

(g) Oper. T. 3. p. 437.

(h) Epist. Anat. Med. 37. §. 30.



nostrum notavit Cl. WILLIS (a), a tumoribus cancroſis BEſſE (b) & MORGAGNE (c).

Non autem omittendæ ſunt in hoc cauſarum cathalogo ſpasmodicæ ventriculi affectiones, ſive enim per animi pathemata, ſive per ſtimulum mechanicum, ita conſtringi ventriculi tunicæ poſſunt, ut inde perpetui vomitus & lethali cum eventu morbus noſter producat (d).

Porro huc pertinet reſolutio, atonia, ſive paralyſis muscularium ventriculi fibrarum, quæ ſequi ſolet, poſtquam tanto gradu nimium onuſtus fuit ventriculus, ut extra tonum expandantur fibræ musculares, & inde ineptæ ſiant ad ulterius propellendos cibos, quos continent, vel in poſterum accipiunt; neque etiam hæc cauſarum ſpecies exemplis caret, CORN. CELSUS de illa jam cogitavit (e), obſervavit eam MORGAGNE (f), & in variis cadaveribus in ingentem capacitatem ventriculos diſtentos vidit; cum quo etiam convenit Cl. LIEUTEAUD, qui etiam a paralyſi ventriculi morbum noſtrum ſe obſervaffe teſtatur (g).

At-

(a) Pharmac. Ration. Sect. 2. Cap. 1.

(b) Append. Theſaur. p. 278. & ſeq.

(c) Epift. Anat. Med. 30. §. 2.

(d) MARCHARD *Mediciniſche verſuche*, Tom. 2. pag. 183.

(e) Lib. de Medicina 4. Cap. 5.

(f) De Cauſ. & ſignis morborum Epift. Anat. Med. 29. §. 8. Epift. 21. §. 36. Epift. 38. §. 22. Epift. 48. §. 44. Epift. 52. §. 8. aliisque in locis.

(g) Hiſt. Anat. Med. T. 1. pag. 12. & ſeq.



Attentionem nostram hic quoque meretur situs ventriculi, qui ita mutari a naturali potest, ut notabilee obstaculum transitura alimenta offendant, imo aliquando plenarie repellantur, sic in muliere nostri morbi symptomatibus defuncta, ventriculum in longitudinem valde extensum & infra umbilicum situm invenit MORGAGNE (a); neque hæc causa ita rara est, cum variae in abdomine conditiones sæpe adsunt, quibus de naturali sua sede removeri ventriculus potest; per partes adjacentes nimia mole peccantes fieri hoc potest, vidi hoc in vetula abcessu magno hepatis demortua, ubi ventriculus in superiore parte quamdam habebat expansionem pugni minoris magnitudinis, inde vero fere perpendiculari decursu, cylindrica figura admodum coarctata, usque infra umbilicum descendebat, & digitum annularem circumferentia sua non superabat, unde etiam summæ anxietates & vomitus molestissimi, dum viveret misera, sæpius fuerant suborti; sic etiam aliis de causis loco removeri, imo extra abdomen protrudi potest, verbi causa, si adsit ventriculi Hernia sive Gastrocele, in quo casu, præcipue si accedat (quod tamen rarius fit,) talis partis prolapsæ incarcerationio, maximæ difficultates in propulsione alimentorum oriri possunt. Labet hic, quamvis inde ea occasione morbus noster non productus sit, inferere.

No.

---

(a) Epist. Anat. Med. 29, §. 12.



Notabilem admodum talis perversi ventriculi situs observatio-  
nem, quam notarunt in dissectione cadaveris Principis Auriacæ  
Cl. Viri F. R. WINTER, H. D. GAUBIUS, J. ONYMOS, C.  
H. VEISE, J. SCHOONDERHAGE, & JOH. J. DUVAL,  
quamque ex *Annuario Belgico, Nederlandsche Jaarboeken* anni  
1759. ita transfero.

1º. Postquam integumenta communia erant dissecta, patuit,  
membranam adiposam per totum corpus, sed præcipue ab in-  
feriore margine thoracis usque in pedes extremos, œdematose  
humore admodum tumidam esse, simulque in genu atque pede  
sinistris, nec non in sinistro brachio, sanguinem extravasatum  
atque conglumatum adesse.

2º. Educta ex admodum pro tuberante abdomine ope cannulæ  
& acus, quibus in paracenthesi uti solemus, parva & non ultra  
dimidiam mensuram aquæ acre fœtentis quantitate, & aperto  
ulterius prudenter abdomine, apparuit, quod post habitualement  
herniam umbilicalem & inde productam vix credibilem muscu-  
lorum rectorum a se invicem dilatationem, sensim ortam fuisse  
herniam ventralem, peritoneum & aponeuroses membranosas in  
magnum non incarceratum & supra ventrem maxime protube-  
rantem saccum expansa fuisse, atque herniam illam in se conti-  
nuisse non solum omnia intestina tenuia, cum adnexo mesen-  
terio, uti & intestino cæco, & fere toto, in variis locis spasma-  
dicis constrictionibus coarctato colo, cum appendente omento,



sed etiam rarissimo modo in eo sacco contentam fuisse partem ventriculi, cujus nempe admodum in longitudinem extensi, & quasi in duos ventriculos sive saccos per collum sive coarctationem intermediam divisi, superior pars in superiore ventre, sive regione Hypochondriaca naturaliter erat locata, sed cujus inferior modo memorata portio in herniam illam ventralem profusus erat protrusa (a).

(Hæc quidem hujus extispicii pars proprie sola ad nostrum scopum pertinet, attamen propter momentum hujus dissectionis, cetera quoque adjungemus, quandoquidem non novi, quod hicce casus alio sermone quam Belgico exstat;) ergo.

3°. Lien naturaliter sese habebat, uti & hepar, quamvis parum plus solito compactioris substantiæ, in vesicula fellea tres erant calculi fellei, quorum duo majores in cystide fellea, tertius minor in ductu choledochi erant locati.

4°. Renes, ita a præternaturaliter intus protuberantibus lumborum vertebra, quam per supra memoratum intestinorum prolapsus ex sede sua & pinguedine erant detracti versus anteriora, substantia eorum erat admodum compacta, imo indurata videbatur, & in nonnullis late protuberantibus partibus scirrhusa habebant tubercula; vesica urinaria parva erat & contracta.

5°. Cor

---

(a) Similis prolapsus ventriculi & intestinorum invenitur apud D. SENNERTUM, Lib. 14, pag. 316.



50. Cor insolitæ magnitudinis & valde sanum erat, sed pulmones monstrabant extus & intus colorem cæruleum, dissecta eorum substantia continebat & effundebat multum aquæ spumantis, salivæ similis.

60. Cerebrum erat præternaturaliter molle, & habebat in nonnullis locis aquam effusam, uti 1<sup>o</sup>. infra piam matrem, quæ etiam, hic & illic inspissato & accreto mucositate, erat solito crassior, & 2<sup>o</sup>. in ventriculis anterioribus cerebri, ubi major aderat quantitas, atque plexus choroidei æque per hydatides ac per inspissatum mucum crassiores erant, & 3<sup>o</sup>. etiam talis humor inveniebatur in sinibus occipitalibus infra cerebellum.

Ut redeamus iterum ad causas impediti alimentorum ex ventriculo in duodenum transitus, a nobis enumerandas, præcipua earum, quæ in ipso ventriculo locum habent, agmen harum claudat, nempe morbosâ ejus dextri orificii conditio; hæc nostri morbi frequentissima causa multis exemplis adstrui potest; BARTHOLINUS induratum & adeo angustum pylorum invenit, ut neque solida, neque liquida per illum transmitti potuerint (a); ab incrassatione hujus dextri orificii simili modo fames fethalis observata est (b), vir quidam quadraginta annorum, quæcumque comesta vomitu rejiciebat, usque dum atrophiam moreretur, in cadavere pylorum

an-

(a) Cent. 4. Hist. 47.

(b) Journal de Médecine ann. 1757. Mens. Mart.



angustum & induratum invenit MORGAGNI (a), in scirrhosam duritiem mutatus erat in simili ægroto, quem curavit A. DE HAEN (b), memoratur etiam notatu dignissimus casus de vomitu lethali ab induratione pylori cartilaginea imo fere ossea (c): nullis remediis compescendam quorumvis assumptorum rejectionem a callosa pylori induratione in homine, qui spiritu vini inmodice abusus fuerat, observavit BOERNERUS (d), lethalem vomitum a pyloro penitus clauso per fungosam ejus crescentiam vidit RALOUX (e), ab incrassatis ventriculi tunicis Cl. VAN DER MONDEN (f), Cl. ANDRE a cancrosa degeneratione pylorum clausum invenit in Ecclesiastico quodam, qui, postquam ab Agyrta pulverem quemdam, uti putabat, purgantem assumserat, dolore & anxietate ad locum pylori, & perpetua assumptorum rejectione mortuus erat (g), in Juris Consulto quodam eadem de causa idem observavit (h), tandem etiam

(a) Epist. Anat. Med. 65. §. 3.

(b) Ret. Medendi, Tom. 6. pag. 13. & 14. Conf. Obs. nostram secundam in ultimo capite notatam.

(c) Philosoph. Transact. Tom. 33. pag. 153.

(d) Disquisitio anatomica de tæbe sicca ab angustia pylori, quæ prodiit Lipsiæ anno 1752.

(e) Table Nosologique, pag. 78.

(f) Recueil periodique d'observations de Medicine, Tom. 1. pag. 428.

(g) Hist. & Memoire de la Societè Royale, ann. 1776. & V. ENGLELEN, Ge-  
nees-Natuur- en Huyshoudk. Kabinet, Tom. 3. pag. 114. & 117.

(h) Ibid. pag. 122.



ab induratione & incrassatione pylori etiam impeditum alimen-  
torum ex ventriculo in duodenum transitum, & inde mortuam  
matronam quinquaginta annorum vidit Cl. JEANROI (a).

§. X V.

Absolutis sic omnibus causis nostri morbi occasionalibus, quas  
in ipso ventriculo adesse notavimus, jam videamus, quænam in  
adjacentibus partibus locum habere possint conditiones, quibus  
via ex ventriculo in duodenum difficilis fiat, vel penitus præclu-  
datur: præcipuæ autem harum partium sunt, glandulæ ipsius  
ventriculi & duodeni ab externa eorum facie sitæ, Hepar, Cistis  
fellea, Pancreas, Lien, Intestina, Omentum, Arteria Aorta &  
Cartilago ensiformis. Non inutile iterum erit variis observa-  
tionibus demonstrare, quomodo hæ partes adjacentes morbosæ ven-  
triculum comprimere, ejusque dextrum orificium ita obstruere  
possint, ut nulla alimenta per id ad duodenum transire queant;  
& quidem modo inter has primo loco glandulas ipsas ab externa  
ventriculi & duodeni parte sitas numeravimus, quæ, si obstruan-  
tur, mole augentur, inflammantur, suppurantur, & sic porro,  
viam compressione arctant, vel inflammant etiam, & ejusdem dege-  
nerationis indole afficiunt; Cl. HALLERUS memorat, se in cadavere  
ægotantis, cujus ventriculus omnia sursum reddiderat, invenisse de-

---

(a). L. C. pag. 124.



decem glandulas obstructas & in totidem tumores induratas, a quibus pylori parietes valde ad se invicem comprimebantur (*a*), similem compressionem, & plenariam inde obstructionem pylori, a tumoribus scirrhosis in ejus ambitu fitis vidit A. DE HAAN (*b*).

Sicuti autem ab hisce corporibus glandulosis, in perversam molem aut indolem mutatis, morbus noster produci potest, multo magis & frequentius hoc præstari quoque potest ab hepate, viscere illo maximo, tot tantisque degenerationibus malisque obnoxio.

Si in abcessum magnum abeat, quandoque inde penitus clauditur pylorus (*c*), totius fere ventriculi notabilem coarctationem vidi ab abcessu magno in cadavere vetulæ, quæ post pastum summis anxietatibus sæpe cibos revomuerat, lethalis quoque vomitus observatio exstat, cujus nulla causa post mortem, nisi induratio hepatis, inveniebatur, ventriculum valde comprimētis (*d*). Neque minori attentione dignus est casus, quem vidit Cl. LIEUTEAD (*e*), nempe atrophiam a vomitu, cujus causa erat concretio ventriculi cum minori lobo, cum ibi simul

(*a*) Opuscul. Pathol. pag. 45.

(*b*) Rat. Med. Tom. 6. pag. 13. & seq. & Ibid. pag. 272. Confer, Cl. WILLIS, *Pharmac. Ration.* Sect. 2. Cap. 1. & Cap. hujus tractatus ult. Obs. 2. Tab. 1. 2. & 3.

(*c*) Vid. TH. BONETUM, *Sepulchr. Anatom.* Lib. 3. Sect. 8. Obs. 37.

(*d*) *Ephem. Nat. Cur.* Cent. 3. Append. pag. 147. & seq.

(*e*) *Hist. Anat. Med.* Tom. 1. pag. 35.



adesset in ventriculo foramen, per quod ingesta in lobum illum effundebantur, ibique putrescebant; simili certe modo harum partium degeneratio sese habebat, ac illa, quam nos in œsophagi cum pulmone concretionem, indeque secuta ciborum in hunc effusione observavimus (a).

Neque vesiculæ felleæ vitiis suo influxu in ventriculum caret, datur enim observatio vomitus lethalis, imo hereditarii in matrona quadam, in cujus cadavere vesicula fellea tunicis incrassatis degenerata inveniebatur, ceteris partibus satis naturaliter sese habentibus, hujus matronæ mater iisdem incommodis erat extincta (b); neque mirum est, quod per glandulæ illius magnæ ventriculo proxime subjacentis indeque nomine pulvinaris ventriculi insignitæ, morbosum statum etiam nostrum malum producat; si etenim obstructione aut induratione magis quam oportet tumeat, insequi statim debet parietum cavi, sub quo jacet, ad se invicem compressio, unde illud vel in media vel inferiore parte coarctatur, unde iter alimentis difficile fit, vel penitus præcluditur; sic in duas partes divisum ventriculum in muliere quadam, quæ pro parte accepta sursum reddebat liquidioribus sensim transmissis, vidit Cl. MANGOLD (c); vel

in

(a) Vid. Obs. de Sana & Morbosa Oesophagi structura, Cap. 7. Obs. 1. Tab. 6. Fig. 1. & 2.

(b) Vid. MORGAGNE E. A. Med. 30. §. 7.

(c) Vid. acta Monguntina, Tom. 2. pag. 443. Conf. GLOSSIUS nova Method. Variol. Medendi, pag. 83.



in inferiore prope pylorum parte inperius fit, si prope ductum induratio locum habeat (a), idem observavit EYSELIUS (b), & a scirrho vidit STORKIUS (c) ab abcessu pancreatis vomitum lethalem notavit SWIETENIUS (d), cumque tam diversis etiam pancreas degenerationibus obnoxium fit, sequitur etiam, quod non raro sed frequenter nostro morbo occasionem subpeditare queat (\*).

Frequentissimæ & copiosissimæ, quæ de lienis præternaturali magnitudine, induratione, scirrho aliisque malis apud varios exstant observationes auctores, nullum dubium relinquunt, quin etiam inde noster morbus quandoque producat (e); ne plures memorem, solus videatur de his MORGAGNE (f), ex quo satis videri potest, quomodo lienis vitia vomitum lethalem producant.

Intestinorum porro angustia si adfit, sponte sequitur, quod alimenta in ventriculo contenta, pro ratione illius angustiae, non satis libere vel nequaquam emitti nisi sursum possint; in Duodeno angustiam talem observavit MORGAG-

- 
- (a) FERNELII *Patholog.* Lib. 6. Cap. 6.  
 (b) *Comp. Physiol.* Cap. de glandulis, pag. 25.  
 (c) *Ann. Med.* 2. pag. 248.  
 (d) *Comment.* T. 3. pag. 5. Conf. SALSMAAN de viro abcessu.  
 (\*) Varia hujus morbosa pancreatis conditionis cum inde producto impedito exitu alimentorum ad intestina habet MORGAGNE in *Epist. Anat. Med.* 39.  
 (e) Vid. Cl. IOH. BOHN *Disput. de Vomitu*, §. 13.  
 (f) *Epist. Anat. Med.* 36. §. 12.



NE (a), dum totum canalem intestinale ita coangustatum, ut impediretur inde progressus alimentorum, describit Cl. LIEUTEAD (b), ab angustia coli in filiola quadam nostrum morbum quoque vidit STRATENUS (c); mirum porro forte videbitur, si etiam in catalogum partium in abdomine sitarum, quarum aucta moles ventriculum comprimere, ejusque motum ad propellenda contenta inertem facere potest, referam aortam arteriam, licet enim rarius in descendente hujus vasis parte dilatationes morbosae contingant, aliquando tamen hoc fieri, mihi patuit in cadavere mulieris, ubi detegebam ventriculum in duas partes divisum, atque in mediò ita coarctatum, ut pauca & liquidiora tantum posset transmittere, quæ divisio & compressio efficiebatur ab aneurysmate magno arteriæ aortæ descendens, quod ultimo capite latius describere animus est (d); tandem etiam a cartilagine ensiformi intus incurvata vomitus, dolores ventriculi, & atrophia lethalis observata est (e), nuper ego ipse in filia duodecim annorum talem intus recurvationem valde notabilem inferioris sterni partis vidi, quæ autem hucusque nulla incommoda affert.

## §. XVI.

(a) *Epist. Anat. Med.* 30. §. 13.

(b) *Histoire de l'Academie Royale* ann. 1752. p. 223. & seq.

(c) Vid. ST. V. D. WIEL T. I. *Obs.* 56. Conf. Cl. FOURNIER in *Journal de Medicine Tom.* 42. pag. 504.

(d) Conf. *Obs.* 3. Tab. 4ta, 5ta, & 6ta.

(e) Vid. P. BARBETTE. *Anatom. Practica.*



## §. XVI.

Addere jam possem plures pertinacis quidem vomitus causas, uti v. g. renum & ureterum calculos aliaque vitia, causæ etiam bene multæ vomitus sunt synpathicæ & in idiosyncrasia quærandæ, hæ autem quum non pertinent ad nostrum scopum, quod est morbum Idiopathicum describere, non ulterius his inhærebo, quæ ut plurimum satis possunt cognosci & etiam rarissime per ipsissimum vomitum mortem afferunt, potiusque me nunc accingam ad faciendam nostri mali diagnosin generalem atque specialem, quam in sequenti capite tractabimus.

---

 C A P U T Q U A R T U M .

 D E S I G N I S I M P E D I T I A L I M E N T O -  
 R U M E X V E N T R I C U L O I N D U O -  
 D E N U M P R O G R E S S U S .

## §. I.

**N**on admodum difficile est detectu, quoddam adesse obstaculum, quo impediuntur ulterius, quam in ventriculum progredi alimenta; si viderimus ægotantes quævis ingesta revomere, si attente examinaverimus, utrum illud prima vice per ipso-



ipforum ingestorum stimulum fiat, an jam pluries hoc factum sit, imo certus est medicus, quoddam obstaculum in ventriculo ipso partibusve ei vicinis adeste, si postquam aliquid ingesserint ægotantes, oriantur dolores &, anxietates, si de gravi pondere in ventriculo conquerantur, si sentiatur resistentia versus hypochondrium dextrum, & tandem oriatur vomitus, quo nihil vel parumper mutata rejiciuntur, quæ assumta sunt; cum insequente plurimorum saltem symptomatum silentio, si vacuus sit ventriculus: utinam hæc sufficeret notitia! ad tollendum hostem crudelissimum, quo obsessa est provincia, unde totius microcosmi omnes incolæ beneficas naturæ dotes, ad sustentandam vitam, accipere debent; nequaquam autem sufficit: plura ad reddendam ægris sanitatem requiruntur; requiritur, ut noscamus, cujusnam indolis sit illa causa, qua in capite secundo jam memorata symptomata producuntur, hoc difficillimum esse, quisque agnoscet, qui cum pertinaci hoc inimicoque malo luctantes mortales conspexit, non tamen rei difficultas inertes spectatores nos debet reddere, excitet potius nostram diligentiam & sic omnes intendamus nervos, ut detecta morbi natura, miseros, de futura sanatione gavisos, deque reddita sanitate gratos, præstare possimus.

Videamus ergo quantum fieri potest, ex quonam multiplicium memoratarum causarum fonte misera nostri morbi tragœdia nascatur; non enim omnes æque difficiles cognitu sunt causæ, plu-



res memoravimus, quæ vel per se, vel per alias accedentes conditiones satis facile patefiunt, sunt e contrario aliæ, quæ vel nequaquam, vel difficillime detegi possunt. Videamus de singulis.

§. II.

Si ex relatione ægrotantis vel amicorum intelligamus, corpus quoddam heterogeneum deglutitum esse, possumus ex indole ejus concludere, quemnam effectum in ventriculum ediderit, an fuerit tale corpus glabrum, æquabile, magnum vel non, an fuerit rotundum, an angulis fuerit præditum acutis, an oblongum, an pungentem, secantem, rodentem figuram habuerit; in primis enim casibus mechanica tantummodo obturatio locum habebit, dum in aliis inflammationes, excoriations, læsiones, vulnera, imo & perforationes ventriculi adesse possunt.

Aliquando vero fit, ut incio ægrotante, tale corpus, quod progressum alimentorum impedit, in ventriculo adsit, & hoc in casu difficillime indoles mali eruitur, attenta autem & accuratissima interrogatio de illis, quæ per aliquod tempus ante initium mali contigerint, & inter illam enumeratio talium ciborum, qui difficile, si frustis majoribus deglutiantur, in ventriculo solvuntur, ægrotantium memoriam magis actuosam reddit, ita ut forte tale quid vocetur sub interrogatione medici, quod absque vocabuli rememoratione, oblivioni traditum fuisset. Sedula quoque inspectio eorum, quæ per vomitum rejiciuntur, quandoque



doque multum lucis præbet, sic cognoscebatur causa hujus mali a rejecto frusto majori salmonis indurati, de quo capite tertio §. 6. mentionem feci.

Possunt autem etiam existere casus, ubi miserrimi eventus scopo, deglutitionem talium corporum celare volunt infelices, uti locum habebat in puella illa, quæ propter severam, quam a matre sese pati debere putabat, tractationem, integrum manipulum spongiæ marinæ diglutierat, aliisque in casibus; certo autem certius animus talia secum volvens ut plurimum signa mœroris, metus, dejectæ spei, aut insaniæ exhibere solet, vel notitiam sibi aliquando acquirit medicus, an tristitia nimia vel rerum præsentium infortunata conditio, ansam tristi ejusmodi consilio dare potuerit.

§. III.

Si vero signa quidem adsint obstaculi mechanici, sine eo quod supra dicta locum habeant, vel etiam ulla ipsius ventriculi, vel adjacentium partium morbosa conditio suspicari possit, tunc difficillime cognoscitur, utrum ex acidi coagulo, an ex mucii tenacitate vel aliunde nascatur. Si vero adsit color faciei pallidus, si venter tumefactus & durus sit, si adsit dolor capitis, irregularis appetitus, narium titillatio, pupillarum dilatatio & sic porro, de vermium præsentia cogitari potest (a), præsertim, si  
hisce

---

(a) Vid. Cap. 3. §. 5. pag. 28. & seq.



hisce adjungantur motus convulsivi, & antea excretio vermium eorum existentiam manifestam fecerit.

## §. IV.

Venenum ingestum suspicari debet ex præsentia diversorum phœnomenorum, quæ varia venena in corpus nostrum ingesta exserere solent: sunt enim, quæ subito, sunt, quæ lente agunt, sunt, quæ majori assumuntur dosi, sunt, quæ minima nocent; si vero homo sanus paulo post assumtum cibum vel potum quemdam afficiatur anxietate, dolore ventriculi, vomitu affiduo, cum cardialgia vehementi, si os & fauces pruriunt, pungantur, inflammentur, si æger corripiatur spasimis, convulsionibus, vertigine, &c., probabile est, quod inter assumta alimenta adfuerit venenum quoddam velox, si ejecta per vomitum materies quædam objecta monstrat, cum hoc illoveneno similitudinem habentia, tunc reddimur certiores de indole ingesti veneni, si, v. g., herba quædam venenata evomat, si mutyli &c. rejiciuntur, tunc certa nascitur notitia rei venenatæ assumptæ. Cæterum signa hujus causæ admodum sunt difficilia, & quantum fieri potest ex auctoribus, qui ex professo de venenis scripserunt, eorumque symptomata & signa (a) enumeraverunt, eruenda,

## §. V.

---

(a) J. J. PLENCK, Elementa Medicinæ & Chirurgiæ Forensis.



## §. V.

Si vero adsit nausea cum cardialgia & assiduo vomitu quorumvis assumtorum, cum admixta quadam materie tenaci, pituitosa, acri, foetente, biliosa, vel acida, tunc difficilior fit indolis mali indagatio, quam ejectio talis materiae acris, aliusve, in confirmato malo, ubi revera causa organica jam adest, tanquam symptoma, æque ac in aliis casibus tanquam causa vomitus perpetui existere potest. Si tamen, postquam lente ortum sit, non valde diu duraverit malum, si prægressa fuerit diæta noxia, sive sit diuturnus farinaceorum, sive pinguium, sive putrescentium, sive acidorum abusus, & nulla mala ventriculi, hepatis, &c. prægressa fuerint, & cum sensu levaminis, modo memorata materies ejiciatur, videtur, quod una alterave harum acrimoniarum potius pro causa, quam pro effectu habenda sit.

## §. VI.

Si autem malum nostrum arripiat homines, qui sedentariam egerunt vitam, qui potuum spirituosorum calidorumve aquosorum abusu sese tradiderunt diuturniori; metuendum est, ne mucus naturalis jam deficiat, ne diluti sint nimis humores saponacei, menstrua illa solutioni ingestorum destinata, ne relaxatæ, vel constrictæ sint nimis partes ventriculi fibrosæ, ne nervi debilitati vel destructi, ne obstructions in glandulis adsint, vel nascantur.

K

Si



Si mutato regimine symptomata cessant, verosimile est, vitium topicum nondum adesse, unde tamen calidis aquosis abutentes tutius concludere possunt, quam bibaces spirituosorum; quamvis enim hi spirituosorum stimulum per aliquod tempus non applicent, & levamen tunc symptomatum percipiant, semper tamen de illis metus est, ne jam pro parte sint obstructi glandularum ductuli excretorii, vasorumque exhalantium fines, ne in nonnullis glandularum membranis & fibris muscularibus jam adsit morbosa fibrarum rigiditas, quæ sensim increset, in majus volumen extendetur, sciosque comprimendo corrumpet. Simile a nimis fervide deglutitis, vel a gelida in corpus æstuans imprudenter ingesta, si impeditus alimentorum progressus nascatur, metuendum est.

## §. VII.

Mali topici porro magnus metus est, si morbi nostri symptomata percipiantur, postquam solita quædam excretio, sive naturalis, sive præternaturalis, debitum non est sortita effectum, vel penitus remansit, ejusque evacuatio non facile possit recuperari, aut, si jam reducta fuerit, attamen symptomata remanent absque signis causarum, quæ §. 5. & 6. recensitæ sunt.

## §. VIII.

Si autem progressus alimentorum ex ventriculo in duodenum  
ad-



adfit, postquam ventriculus læsus, vulneratus, aut inflammatus fuerit, vel postquam materia acri aut venenosa arrosus, vel vomitum cruentum notabilem fuerit passus, tunc metuendum est, vel vomicam, vel abcessum, vel excoriationem, vel indurationem, vel ulcus malignum carcinomatofum, vel gangrænam adesse.

Novimus autem inflammationem ventriculi locum habere, si adfit dolor pungens ardensque in regione Hypochondriaca, comitante acutissima febre, pulsu parvo contracto celeri, si dolor iste quibusvis diaphragmatis vel musculorum abdominalium motibus, v. g. sub inspiratione, tussi, alvi exoneratione &c. augeatur, maxime si augeatur ab ingestis alimentis vel potulentis etiam blandissimis, cum continuis vomendi conatibus; accedunt porro convulsiones, fitis intolerabilis, animi deliquia & celerrima virium prostratio (a), propter arctissimum cum corde & cerebro nexum (b).

Si morbus noster remaneat, & dolores non adsint adeo acuti, si febris quidem comitetur, sed mitior sit, metuendum est, ne abcessus vel vomica jam in causa impediti alimentorum progressus sit.

Si vero post inflammationem dolores subito cessent, pulsus fiat minimus intermittens, sudor accedat frigidus, & tamen quæcumque

(a) Vid. N. G. OOSTERDIJK, L.C. Cap. 57. §. I. & CELSUM, Lib. 5. Cap. 56.

(b) Vid. REGA de Sympathia & RAHN de arcto commercio inter cerebrum & viscera abdominalia.



que ingesta revomantur, concludere jam de incipiente Gangræna, vel Sphacelo partis cujusdam ventriculi possumus (a).

Si vero impediuntur progredi ingesta absque hisce lethalibus signis, sed dolores non adsint acutissimi, verum ex his sensim in obtusum gravativum mutantur, si tangenti durum appareat epigastrium, si post prandium primo expandatur quasi flatibus ventriculus, & paulo post ingesta alimenta sursum pellit, tunc con-  
jicimus, indurationem non facile solubilem jam natam esse (b).

Si postquam hæc observata sunt per aliquod tempus, dolores postea paulatim revertuntur & exacerbantur, si vomitus citius post assumptum cibum sequuntur, si accedant ructus foetentes, acres cum cardialgiis molestis, si rejectis alimentis admixta sit materies purulenta, foetens, sanguine tincta, tunc verosimile est, indurationem illam jam in ulcus malignum cancriforme transiisse.

### §. IX.

Si autem impeditus alimentorum progressus observatur in sub-  
jectis, quæ antea nullo ventriculi morbo correpta fuerunt, quibus nulla excretio sive naturalis, sive præternaturalis est subpressa, quibus glandularum indurationes non magna est dis-  
po-

---

(a) Vid. V. SWIETEN, Comment. Tom. I. Cap. de Inflammatione in genere.

(b) Vid. PLEVIER de Ossificatione ventriculi.



positio, quæ nulla sordium aliarumve causarum in ventriculo præsentium signa exhibent, sed quibus est ætas juvenilis & systema nervosum valde sensibile, quæ post gravem aliquam ejus perturbationem primordia mali experta sunt, tunc magnam habemus rationem, cur ventriculi spasmodicas constrictiones accusemus; e contrario paralyfin fibrarum ventriculi muscularium, si vomitus non oriantur, nisi postquam multum repletus fuerit, & lente materies esculenta ejiciatur, potius vi diaphragmatis & musculorum abdominalium atque viscerum subjacentium compressione, quam sola ventriculi actione, si hoc incidat in homines insensiliores, edaces, quibus est temperamentum laxum atque ætas senilis, qui nimias evacuationes passi fuerunt, & præcipue, si etiam aliæ quædam partes resolutæ sint.

## §. X.

Ab ipsarum tunicarum ventriculi induratione, vel glandularum ei adjacentium morbofo incremento alimentorum progressum impediri putamus, si admodum lente nascatur malum sine signis ullius causæ, quæ subito agit, sed si pedetentim, absque ipsius ægri notabili perceptione, adducta sunt symptomata & simul adsunt illa signa, quæ de hac specie indurationis in diagnosi dysphagiæ enumeravi (a), quæ brevitatis ergo hic non repetam.

## §. XI.

(a) Vid. de Sana & Morbosa Oesophagi structura, Cap. 4. §. 6. pag. 75. & 76. & Observationem secundam ultimi hujus tractatus capituli.



## §. XI.

Si mala nascantur absque memoratis phœnomenis, sed vel in umbilico, vel in linea alba tumor mollis præternaturalis est, aliaque signa herniæ adsunt non incarceratæ, tunc probabile est, quod in sacco hernioso etiam contineatur quædam pars ventriculi, ad quam alimenta non ita facile pervenire possunt, vel ex qua, si eo pervenerint, difficile vel nequaquam possunt egredi ad duodenum.

*Non incarceratæ* signa dico, quoniam in omni strictura omnium intestinorum vomitus pertinaces inter primaria symptomata numerantur, & absque eo, ut pars ventriculi constricta sit, quævis ingesta sursum reverti cogantur, & certe non minus quoque reverti cogentur, si hernia ventriculi incarcerationem quoque subeat.

## §. XII.

Si autem nulla adsint ipsius ventriculi affecti signa, sed malum incidat in subjectis scrophulosis, cacochymicisque, & tales prægressæ sint causæ, sive in diætâ, sive in regimine, sive in vivendi more, unde glandularum lymphaticarum obstructions, indurationes, aliosve morbos, suspicari possumus, tunc de obstructis vel induratis glandulis, quæ prope ventriculum, vel duodenum, vel in mesenterio locatæ sunt, vel de pancreate degenerato cogitandum est.

Si



Si vero adsunt tumor & durities in ea abdominis parte, quæ ab hepate vel liene occupatur, si prægressi sunt horum viscerum morbi, hepatitis, icterus, morbus niger, alique, tunc verosimile est, malum nostrum produci per compressionem, quam ab hisce adjacentibus partibus subire debet ventriculus.

Si adsit in umbilico aliave paulo superiore vel inferiore parte tumor æquabilis, durus, magis minusve, qui pulsat, cum diastole arteriarum, tunc conjici potest, aneurysma arteriæ aortæ descendens ventriculum ita comprimere, ut ejus cavitatis capacitatem in aliqua parte minuat.

Si sternum atque cartilago ensiformis in oblongum, curvum, intus pressum mucronem desinat, atque cum hujus deformitatis incremento mali nostri symptomata increscant, certo certius hinc ventriculi compressionem atque impediti alimentorum progressus causam fieri, concludere potest Medicus.

### §. XIII.

Possunt etiam tales in ægrotantibus adesse conditiones, quibus docemur, non in unius tantummodo partis morbofo statu indolem progressus alimentorum impediti quæri debere, sed plures earum a naturali habitu deviare; possunt huc multum conferre variæ causæ prædisponentes, quæ simul in uno objecto occurrunt, possunt similiter occasionalium plures simul locum habere, vel in ipsa ventriculi cavitate, vel in adjacentibus, ad  
qua-



quarum præsentiam ex supra memoratis, si secum invicem conferantur, attendere facile Medicus potest.

§. XIV.

Absoluta jam naturalis ventriculi brevi descriptione, absoluta historia mali illius, quo impediuntur ad reliqua intestina chylicationi & nutritioni materiam ulterius præparando destinata proficisci, quæ hoc scopo ingesserunt homines, absolutis multis, quibus diversimodo illud producat, causis, atque iis, quæ de signis, necessaria duxi, exhibitis, jam ad quintum Caput transeundum est, quo ex supra adductis videndum erit, in quibus casibus, salva sua conscientia atque fama, ægrotantibus de recuperanda sanitate spem possit præbere, in quibusnam tutius sit, dubium declarare eventum, in quibusnam tandem non nisi lethalem prognosin formare possit Medicus.

---

C A P U T   Q U I N T U M.

DE PROGNOSE IMPEDITI ALIMENTORUM PROGRESSUS.

§. I.

Uti diversorum morborum, æque acutorum, quam chronicorum, admodum diversus observatur semper terminus; sic etiam, qui idem intuitu imperito videtur, sæpius non eodem fini.



finitur modo; non solum enim affectæ partis diversitas huc multum confert, sed etiam modus, quo eadem pars afficitur, varius, toto cælo diversas producit sequelas. Nec non gradus idem semper est, neque ab eadem prorsus causa omnes similem effectum experiuntur homines; unde difficillimum esse, nostri mali ex tam multiplici variantium certe conditionum numero oriundi, præfagium certum, quisque facile agnoscat; itaque singularum, quæ hucusque sunt memoratæ, effectum describere nobis neque necessarium videtur, neque lectoribus jucundum foret. Videbimus itaque primo tantum in genere, quæ a malo nostro effecta producantur, dein species præcipuas exploraturi.

## §. II.

Impeditus alimentorum progressus ex ventriculo in duodenum in genere periculosus semper morbus est, & lethali atrophia debet terminari, si obstaculum, quo impediuntur alimenta progredi, tale sit, ut nullo modo removeri queat; sed, quamvis sæpius hoc ita sese habere doceat experientia, attamen non semper tam malignæ indolis est, sunt enim inter memoratas occasionales causas, quæ sat facili tolluntur negotio, sunt, quæ difficilius, sunt, quæ nequaquam possunt removeri, sed tales post se relinquunt sequelas, ut de eventu dubius hæreat Medicus.

Præcipue autem prognosis incerta convenit, si chronicum sit malum, quamvis enim ad tempus levamen experiantur agrotan-

L

tes,



tes, potest tamen latere anguis in herba, ita ut pristinus majori cum ferocia saeviat iterum hostis, in eo casu ægrotantes fidem, qua de peritia sui Medici illis opus est, perdunt, ad alium vel imperitiorem circumforaneum, pharmacopolam vel barbitonforem idiotas, confugiunt, & misere cruciantur, si nimia celerioris medelæ spe suam artem extulerit Medicus, & detalium phænomenorum frequentia ægrotantes non præmonuerit.

Longe tamen abest, ut infelicis eventus augurii auctor haberi velim; nihil magis ægrotantibus noceret; animi tristitia, dejecta recuperandæ sanitatis spes in tractando hoc malo sunt summa obstacula, & pessimos effectus producunt: prudenter autem ad protractum remediorum usum ægrotantes persuadeat Medicus, phænomenorum aliquando recurrentium eos certiores reddat, absque eo, ut inde spes sanationis perdat, sed illud malo nostro proprium esse, & inde forte solamen insecuturum prudenter polliceatur, in genere ergo omnia instituenda sunt, quæ ægrotantis salutem, fidem assiduam, spem sanationis ex protracto remediorum usu promovere, & famam Medici servare possunt.

§. III.

In proponendis jam, quæ de speciali prognosi habemus, præcipue attenti esse debemus, ut semper in mente habeamus partem affectam, modum quo affecta sit, analogiam talium affectionum in aliis partibus, & tandem exempla, hæc ob-  
fer-



fervare debet Medicus in prognosi nostri mali speciali, quam nunc aggredimur eodem ordine, quo præcipuas causas recensuimus.

## §. IV.

Si ergo deglutitum quoddam heterogeneum corpus in ventriculo ita hæreat, ut inde impediatur progredi alimenta, pro vario, quo inde afficiatur ventriculus, modo, exitus rei varius erit; hoc autem multum a qualitate istius deglutiti corporis dependet, facilius enim tolletur & minus malas sequelas post se relinquet talis figuræ atque molis corpus, quod absque læsione, punctura, vulnere, per vires naturæ, propriam etiam in hoc casu salutem sedulo propugnantis, vel artis auxilio sursum aut deorsum evacuari potest, quam acuminatum, pungens, inæquabile, secandi aut vulnerandi potestate præditum, quamvis & talia quandoque non expectata fortuna eliminata legimus (a).

Major quoque spes evacuandi est, si tale sit ingestum, quod difficilis quidem est digestionis, attamen, per temporis quoddam spatium succis ventriculi maceratum, dissolutionem quamdam admittat, quam si metallicæ, ossæ, lapideæ, aut ligneæ sit naturæ, exemplum tale frusti salmonis fumo indurati, quod per tres menses morbi nostri symptomata produxerat, atque tandem felicissime per vomitum rejiciebatur, attulimus.

## §. V.

(a) SANDIFORT *Biblioth. Med.* Tom. 2. p. 119. & seqq. & 727. & seqq.



## §. V.

Si autem in morbo nostro talia adsunt signa, ex quibus nodum vermium pro causa symptomatum habere nos ratio jubet, in eo casu non debemus sanationis spem abjicere, præsertim autem spes illa affulget, si, post adhibita antihelmentica remedia, aliquot horum animalculorum sursum ejiciantur, unde tunc docemur, primo, nos rectum formasse judicium, & secundo, incipere solvi nodum, sicque causam malorum minui, dum ex insequente dein vomitus, anxietatum atque dolorum levamine post assumpta alimenta pateat, liberum huc usque esse ægrotum ab organico in ventriculo vitio.

## §. VI.

Si vero morbus noster nascatur, postquam venenum quoddam assumtum est, in eo casu dubius certe est eventus; sunt enim venena, quæ pro tempore quidem horrenda producunt symptomata, attamen non adeo lethiferas exferunt vires, quum e contrario alia sunt, quæ, vel subito vel lente, partibus organicis tantam inferunt vim, ut illæ inde maximas degeneraciones imo & destructionem subeant (a). Itaque varia qualitas & quan-

titas

---

(a) Vid. Cap. 3. pag. 31. & seq. & Auctores ibi allatos.



titas veneni ingesti cognita esse debet, ut ex hac notitia etiam eventus magis minusve fortunatus præfagiri possit (a).

§. VII.

Spes autem perfectæ restituendæ sanitatis est, si certi simus, malum oriri ab acri quadam materie acida, biliosa, putrida, illamque non ita diu in ventriculo hæsisse, ut sua arrosione tunicas ipsas affecerit, uti etiam si oriatur a muco tenaci dextrum ventriculi orificium occupante, cum debitis remediis hic resolvi, illa pro varia sua indole corrigi, dilui & eliminari possit.

§. VIII.

Sed dubius iterum est eventus, si malum nostrum occurrat in subjectis, quæ vitam sedentariam egerunt, quæ potui aquoso, infusis fabarum Caffææ atque Herbæ Theæ multum atque diu dedita fuerunt, quæ temperamento laxo œdematoso cachectico prædita sunt; attamen, si a relictis deliciis & iusta medendi ratione per aliquod temporis spatium notabile symptomatum experiantur levamen, & simul habitus corporis emendetur, tunc de reversura prospera valetudine gavisos illos homines reddere poterimus.

Minus certo promissa solvere poterimus, si faustam formemus prognosin in illis, qui, postquam spiritus ardentis pro tracta

con-

(a) Conf. Cap. 4. §. 4.



consuetudine & immodica quantitate ingurgitaverunt, impeditum alimentorum progressum patiantur, hæ enim deliciæ in longe pluribus tales producere in partibus organicis degeneraciones observantur, quæ nullo dein artis auxilio in naturalem conditionem possunt reduci.

## §. IX.

Si vero malum oriatur, postquam solita quædam excretio minuta vel subpressa sit, atque rationes sint, quibus inducimur, ut credamus, a congestione talis materiæ excrementitiæ ad ventriculum symptomata derivanda esse, prognosis erit varia pro varia materie, quam in causa continui vomitus esse observamus, facilius enim hæc, quam illa, ad vias, per quas evacuari solet, reduci poterit, non tantum, sed & alia sunt auxilia, quæ in hac multum, in illa parum vel nihil conducere possunt.

Sic v. g. facilius ope venæ sectionis vasa ventriculi per subpressionem soliti hæmorrhoidum fluxus distenta, vel sanguine post inceptam graviditatem aliamve ejus cessantis fluxus, menstruo causam, impleta & distenta, relaxare & depellere poterimus, & sic causam vomitus & impediti alimentorum progressus tollere, quam si materies erysipelatosa, serophulosa, venerea, rachitica, podagrica, aliave in structuram glandularum vel tunicarum sit delata; unde non ita facile revellitur, & ipsius partis substantia citius arroditur, inflammatur, excoriatur, atque dege-

ne-



neratur, ita ut, quamvis etiam talis materies pro parte ad externa derivetur organa, attamen post se in ventriculo malum topicum relinquat.

## §. X.

Periculosissimus quidem impeditus alimentorum progressus est, qui oritur ab inflammatione ventriculi, attamen, in tempore instituta debita medendi ratione, cito quandoque curatur, & felici inflammationis resolutione omnium symptomatum causa tollitur: nuper in juvene sanguineo, qui ante aliquot hebdomades, lateris dolore acuto, inflammatorio, cum tussi & brevi respiratione fuerat correptus, hoc vero ope venæ sectionum, potu antiphlogistico, & emplastro vesicatorio, ad locum dolentem applicato, feliciter sanato, perfectæ gastritidis symptomata observabam, postquam in itinere varia stomacho suo atque temperamento inimica, & inter alia, insolitum sibi spiritum ardentem atque vini rubri immodicam quantitatem ingerat, atque deinde aëri frigido vespertino sese dederat, ut signa ebrietatis cœlaret: Ope tamen unius venæ sectionis, & applicatione fomentorum emollientium resolventiumque, similisque indolis clysterum intra duodecim horas dolor atque omnia alia symptomata evanescebant; non tamen semper ita felicibus nobis esse contingit, sed vel subita sæpe morte hic morbus



bus terminatur, vel reliquias format, unde deinde periculofior impeditus alimentorum progressus remaneat.

Periculofiffimus itaque noster est morbus, si infeliciter decurfo inflammationis ftadio figna abceffus vel vomicae remanent, & quamvis rariffimo exemplo tali vomica vel abceffu ventriculi affecti homines ad fanitatem reducantur (a), fæpius tamen mors certa illos manet, hæcque evitari non potefl, fi infrequentium inflammationis exituum figna observantur, lente quidem, fi remaneant indurationes, citius, fi hæc in ulcera cancerofa abeant, citiffime, fi gangræna accedat vel fphacelus.

## §. XI.

Nifi autem aliæ, quam folæ fpasmodicæ ventriculi conffrictiones in caufa impediti alimentorum progressus adfint, tunc magna fpes eft, ut ad fanitatem reduci poffint ægotantes, nifi modo adeo fortes illæ conffrictiones fint, ut vim partibus tenerioribus inferendo harum læfiones & inde fanguinis effufiones, tunicarum derafiones, vaforum rupturas, glandularum deffructions earumque periculo plenos effectus producant.

## §. XII.

Si autem a paralyfi fymptomata noftri mali derivanda effe, judicemus, tunc in facienda prognofi etiam quam maxime ratio ha-

---

(a) Vid. Cap. ult. Obf. 1<sup>am</sup>.



habenda erit gradus hujus vitii, & constitutionis atque ætatis ægrotantis.

Minime enim curari poterit plenaria fibrarum ventriculi muscularium resolutio, quæ in senibus post apoplexiam, vel comitantibus aliarum partium resolutionibus, cum generali solidorum laxa debilitate occurrit, difficilis quoque curatu est illa, quæ post diuturnam potuum aquosorum immodicam ingurgitationem oritur, & in illis etiam periculosa est, in quibus una vice nimia voracitate aliave de causa extra tonum ita expansæ sunt musculares ventriculi fibræ, ut contractilitatem omnem amisisse videantur, neque tamen in hac, neque in illa, si faveant temperamentum & ætas, omnis sanationis spes abjicienda est, sed posthac in sequenti capite exhibenda methodo aliquando ad pristinum vigorem reduci poterit ventriculus, sicque ægris prospera reddi valetudo.

### §. XIII.

Minor recuperandæ sanitatis spes est, si ex §. 10. Cap. 4. hujus tractatus, memoratis signis, & §. 6. Cap. 4. pag. 75. prius editæ dysphagiæ descriptionis judicare possit Medicus, unam alteramve tunicarum ventriculi, vel omnes eum constituentes, vera induratione correptas esse; si enim talis organica partium adsit degeneratio, hucusque cognitis remediis futuram curationem non polliceri poterit prudens honestusque Medicus, sed lon-



gam potius prævidebit Symptomatum seriem & prudenti administratione atque congrua sub diæta, solamen aliquando per sat protractum temporis spatium afferre poterit, aliquando vero contra omnem auxilii vim in pejus ruens malum cito fit lethale.

## §. XIV.

Si ab elapsa in faccum herniosum aliqua ventriculi parte difficiliter vel nequaquam progredi alimenta possunt, tunc cum reductione talis herniæ symptomata poterunt removeri, si vero faccus ille constringatur, & neque manu, neque instrumentis reduci, aut constrictio dilatari possit, certam, uti fere semper in tali casu, mortem prævidere poterimus, neque enim ab ano præternaturali in hoc casu, uti in aliis, vita protrahi poterit.

## §. XV.

Uti sic diversus admodum mali nostri exitus est, pro diversa ipsius affecti ventriculi conditione, non minor certo differentia est ratione illius eventus, si impedimentum producat ab adjacentibus ventriculo partibus, si nempe a glandulis obstructis, aut mole auctis pylorus comprimatur, atque indoles affectarum harum glandularum non sit scirrhusa vel cancrosa, sed a congestione aut stagnatione lymphæ inspissatæ, vel catharrhalis, aliæve resolubilis materiæ, tumefactæ hæ glandulæ sint, tunc spes magna reversuræ sanitatis adest: minor si hoc incidat in sub-  
jec-



jectis scrophulosis aut rachiticis, sed in his tamen diu ferri atque tolerabilis reddi morbus poterit.

Si vero adfit schirrosa aut cancrofa earum degeneratio, tunc, certum ante foras pulsare fatum, novimus: Idem de Hepate, idem de Pancreate, idem de Liene erit dicendum; pro varia, qua nostrum morbum producant indole, infarctu, obstructione, induratione, abcessu, aliave degeneratione, varia erit formanda prognosis.

§. XVI.

Nulla autem spes reddendæ sanitatis Medico superest, si aneurysma magnum arteriæ aortæ descendentis in causa impediti alimentorum progressus sit, sed quamvis diu hoc malum ferri posse docuit experientia, certo tandem deleterium est; certum etiam fatum sequetur, si a mechanica intus incurvatæ cartilaginis ensiformis compressione ventriculus obturatur; certissimum tandem, ubi plures harum lethalium conditionum simul adsint.





## C A P U T S E X T U M.

## D E C U R A T I O N E.

## §. I.

**T**andem hujus tractatus pars, quæ maximi momenti est, consideranda venit; videndum nempe est, quæ sint facienda, ut afflicti descripto morbo ad sanitatem reduci possint homines: patebit iterum hic, non eodem modo semper procedendum esse, sed pro varia ratione, qua morbus noster producitur, variam medendi normam esse eligendam.

Verum quidem est, quod in genere eo dirigi Medici conatus debeant, ut removeat obstaculum, quo impediuntur progredi alimenta, ut, sublato hoc, partium sensilitatem moderetur, vel affectam partem restauret, ut recidivam præcaveat, & vires universi corporis atque habitum emendet.

Si vero talis sit naturæ obstaculum, ut spes nulla sit, quod plenarie vinci aut removeri arte possit, tunc incrementum ejus impediatur, & præcaveatur, sicque maxima simul symptomata minuantur.

Tandem nulla, aut reddendæ sanitatis, aut minuendi symptomata, spe superstite, vitam servare, quamdiu arte fieri potest, conabimur.

U



Ut autem hisce indicationibus, vel ex toto, vel pro parte, satisfiat, non simplici Empyria est utendum, multo minus specificum quoddam potest excogitari, quo curari hoc malum posset; sed rationalis tractatio summa cum attentione requiritur; necesse enim est, ut, præter variam ægrotantium ætatem, sexum constitutionem, atque vitæ genus, etiam multiplicium causarum diversitatem consideremus, earumque gradum diversum distinguamus, ceteroquin in pluribus impedito alimentorum progressu laborantibus, optatum solatium non poterit afferri, quin imo noceret potius, si ad hæc omnia non satis attenderit Medicus; videamus itaque, brevitati quantum fieri possit, studentes, juxta filum in capite tertio ductum, quomodo in singulis præcipuarum causarum casibus agendum sit.

## §. II.

Vocatus ad hominem difficili vel impedito alimentorum progressu, postquam corpus quoddam heterogeneum deglutitum sit, laborantem, medicus, antequam ad indicationem curatoriam transeat, primo urgentia symptomata remove conabitur; si ergo adsit dolor acutus plus minusve pungens, vel anxietates concomitentur majores, opus erit, ut larga venæ sectione incipientem inflammationem sistat, vel futuram præcaveat, deinde, clysmatum ope, intestina eluantur, ut resistentia versus inferiora minuatur, cataplasmata emollientia abdomini applicentur, ut sic,



vasis relaxatis fibrisque intestinorum muscularibus, metus inflammationis ulterius minuatur, & intestinorum cavitas ad accipiendum facile, quæ ex ventriculo descendunt, disponatur: Hisce præmissis pro varia postea corporis heterogenei deglutiti indole varia diluentia, corrigentia, solventia aut, & evacuantia tutius in usum poterit vocare.

Si glabrum ergo, non nimis magnum quoddam corpus deglutitum sit, cum potu oleoso diluente obliniente emeticum poterit propinari, uti enim aliquando solis naturæ viribus talis fiat evacuatio, multo facilius illa fiet, si arte adjuvetur (a). Si autem nimis magnum, vel talis figuræ sit, ut sursum evacuari non possit, tunc diluente demulcente potu, & remediis saponaceis laxantibus, similibusque clysmatibus, versus inferiora promoveri & eliminari debebit, hoc modo infantem duorum annorum, qui etiam nummum argenteum deglutierat, &, quum vomitu non rejiceretur, valde emaciatus jam esset, ab interitum sic minante hoste liberavit Cl. MURALTO, spina atque ventre oleo rosarum bene illinitis, intus potu cum butyro recenti adhibito, sicque, producta diarrhea, infans nummum per anum evacuabat (b).

Si

---

(a) Per vomitum hoc modo rejectus nummus argenteus legitur in *Ephem. Nat. Cur.* Dec. 2. Ann. 9. pag. 49.

(b) Vid. Cl. SANDIFORT *Biblioth. Med.* Tom. 7. p. 250. (\*)

(\*) Minus mihi arridet acidorum in tali casu usus, quamvis THEBESIVS illud eo effectum



Si vero pungentia acuta corpora deglutita sint, pultaceis, oleosis sine stimulo, involventibus, obtudentibus, leniter laxantibus uti conveniet, quamvis sursum talia viam quærentia prospero cum successu vomitoriis adjuncta sint; virgo quædam octodecim annorum improvise perterrita triginta duo aciculas, quas in ore habebat, deglutiebat, quæ omnes iterum per œsophagum evacuabantur, partim manu chirurgica, partim cura emetica adjunctæ (a). Ego autem credo, quod palliativa sub cura talia pungentia & acuta corpora sæpe feliciter evacuantur, quam multum stimulando aut agitando purgantibus aut vomitoriis (b): tutius autem hæc adhibentur, & maxime commendanda sunt emetica, ubi corpora quædam mollia, v. g. spongia marina (c), vel tendinis quædam pars, aut cutis fumo indurati piscis (d), in ventriculo hærentia pylorum claudunt.

## §. III.

Si vero certus est Medicus, adesse vermes in ventriculo, aliud-

ve

---

fectu sese adhibuisse scribat in viro, qui florenum deglutierat, ut, imminutis symptomatibus sensim, tandem sanus vixerit, absque ut, vel sursum, vel deorsum, florenum evacuaverit. Ego autem puto, quod metalla non adeo facile aut tuto in ventriculo humano acidis possint solvi, quam in vase chemico.

(a) Vid. Cl. SANDIFORT L. C. Tom. 2. pag. 725.

(b) Vid. Observaciones Varias in Cl. SANDIFORT *Bibliotheca Med.* Tom. 2. pag. 119. & seq.

(c) J. J. PLENK L. C.

(d) Vid. supra Cap. 3. §. 6. pag. 25.



ve infectum, quibus vomitus continui, sive per molem convulutorum aliquot teretum vel teniæ unius, sive per stimulum alius naturæ animalculi producuntur, emetica optimi usus esse possunt, & sæpius sanitatem restitunt, præcipue autem, si emeticis talia adjungantur, quæ vermium quietem turbant, uti sunt varia antihelminthica cognita, quorum in eo casu solutio asæ fœtidæ cum tartaro emetico optimo cum successu aliquando adhibita est (a).

Idem locum habet, si a veneno quodam deglutito malum nostrum oriri observatur, ubi in pluribus casibus emetica optimum præstant usum, quæ autem eo tutius exhibentur, quo certius iis cum potu diluente adjungere possumus antidotum talis deglutiti veneni. Omnes supra memoratorum venenorum species hic repetere non necesse duco, quum in tali casu accuratissimus auctor, qui in sua Toxicologia cuivis venenorum speciei antidotum adjunxit, consuli potest (b).

#### §. I V.

Sublatis jam hisce obstaculis, sive sursum, sive deorsum, evacuatis hisce corporibus heterogeneis deglutitis, sive vermibus  
in

(a) RHOHN *Dissert.* supra citata LEMON *l. c.* & *Obs.* a nobis *Cap.* 3. §. 6. pag. 28. & *seq.* allatæ.

(b) Vid. J. J. PLENK *l. c.* confer. MURRAY, *appar. Med.* T. I. P. HOFFMANN. *Med. Rat. Syst.* Tom. 4. & C. CÆLSUM de occurrendi ratione vinis Lythargio mangonifatis.



In ventriculo hospitantibus, five ingestis venenis, jam moderari debet superstes nimia partium sensibilitas, quæ ut plurimum a mucò derafo, vel læsa etiam intima tunica remanent, dum etiam fatigatis & extra tonum quodammodo extensis muscularibus fibris restauratione opus est; primo hoc aliquando scopo soli, aliquando utrisque simul satisfieri potest: Ad moderandam ventriculi nimiam sensibilitatem mucilaginosæ, mucum naturalem reparantia sæpe sufficiunt: solutio rad. Saleb, vel Gummi Arabici, vel emulsio Amygdalarum dulcium, egregium præstat usum, dum aliquando Laudani aliquid addi potest, ut ad perversum motum jam deditus ventriculus quietus reddatur, quo facto deinde etiam roborantibus via patet; aqua Menthæ cum Gummi Arabico, succo terræ Catechu & extracto Corticis Peruviani hic conducere potest, dum postea Vini generosi, Malvatici præcipue, prudens usus concedi potest.

Eodem modo agendum est, si a nimis forti vomitorio remedio Hyperemesis exorta fuerit, postquam per Antiemeticum Riverii, Liq. Anod. M. Hoffmann, & Laud. Lig. Sydenh. maximi ventriculi motus sedati sint.

## §. V.

In curatione impediti alimentorum progressus, a talibus causis orti, quæ directe in ventriculi internam partem agunt, jam illa sequitur species, quæ, postquam nimia assumati cibi vel po-



tus quantitate, aut flatibus, ita expansus est ventriculus, ut fibræ muscularis tunicæ sese contrahere non possint ad concoctionem perendam.

In eo casu prudenter admodum agendum esse puto; non statim nimia sedulitate evacuationem subitam moliri tutum est; vomitoria fortiora potius hic nocerent, quam prodesse: atamen cibus ita in ventriculo hærentibus, ut neque sursum neque deorsum ab iis liberari possit, evacuatio quædam necessaria videtur; ita est, sed primo per aliquot horas abstinentia observetur plenaria, deinde externa frictione opus est, epigastrica regio primo manu fricetur, dein pannis laneis fumo mastichis, olibani, &c. imbutis, applicentur fomenta spirituosâ, cum Camphora, aut oleo Menthæ, aliisque aromaticis, deinde interne mixtura carminativa est utendum, ut primo quantum fieri possit flatibus exoneretur, antequam ad evacuationem ceterorum contentorum ventriculus invitetur, quod, modo dictis præmissis, tutius etiam per epicrasin fieri potest, quam simul & semel heroico quodam emetico aut purgante; methodus, quam Cl. VOLTELEN (a) in debilibus ventriculis præditis, ubi tamen emeticum indicatur, suadet, in hoc casu quoque quammaxime commendanda: hisce cautelis non adhibitis, facile nimis conatibus ægros in perfectam & incurabilem ventriculi paralyin

---

(a) Act. Servand. Civibus. l. c.



possemus conjicere (a), vel rupturam subito lethalem producere (b).

Nimio autem tali onere liberatus jam ventriculus non statim sibi relinquendus est, omnes enim eum constituentes partes multum passæ sunt, naturali abrafo mucosæ, intima tunica hic illicve arrosa, vasorum exhalantium atque nervulorum tenuissimis finibus læsis, glandulari tunica nimis irritata, muscularibus fibris partim extra tonum distensis, partim ad constrictiones præternaturales deditis, omni prudentia opus est, ne, sublata licet mali causa, tales supermaneant conditiones, quibus dolores, indurationes, aliave ventriculi mala renascantur.

Derasus mucus ad sensilitatem ventriculi moderandam, & subigenda pinguis & oleosa, quæ ingeruntur, adeo necessarius, optime huic analogæ Gummi Arabici mucilaginis reparatur, uti ex MARHERRI, PLENCKII, atque FOTHERGILLI, experimentis notum est, quæ simul nervi & vascula tenuissima irritata demulcentur, dum glandulæ & fibræ musculares roborantibus, stomacho amicis, non nimis calidis, restaurari debent; præparata Menthæ hic egregii sunt usus, dum diæta parca ex blandissimis sit; sicque eodem modo hic procedendum esse patet,

---

(a) V. SWIETEN *Comm.* Tom. 3. pag. 367.

(b) Act. HARLEM. Tom. 8. Part. 2. pag. 219.



ac ventriculum a corporibus heterogeneis nimis irritatum tractandum esse monui.

## §. VI.

Ubi autem per nimiam abstinentiam exorta sit liquoris gastrici acrimonia, dolores cardialgici, arrosiones tunicae intimae, ructus molesti foetentes, tandemque vomitus pertinaces, in tali casu nihil aliud est agendum, quam ope dietae nutrientis blandae, jusculem carnium, medicamentisque absorbentibus atque roborantibus, torpentem ventriculi facultatem erigere, & hac methodo facile haec nostri mali species curabitur, nisi protracto temporis spatio eo pervenerit, ut cum generali humorum acrimonia jam topica adsit in glandulari aliave ventriculi tunica degeneratio.

## §. VII.

Videndum jam est de curatione nostri morbi ex abusu ciborum vel potuum qualitate peccantium oriundi, nimis autem longi esse deberemus, si singularum harum specierum elaboratam curationem tradere vellemus; dicamus verbo tantum, quod pro varia acrimonia, qua praediti sunt illi cibi & potus, varia sit adhibenda medela. Sic, si mucus tenax ex dieta dusepepta, & farinaceis, aliisque varias obstructions producentibus cibis, adsit, ita ut transitus inde praeccludatur, praeter emetica, quae



quæ non omnem tenaciorem partem expellunt, ad resolven-  
dam illam convenient Gummi ferulacea, Salia varia, Extracta  
amara, frictiones abdominis ope unguenti resolventis Camphorati.  
Ambulatio & equitatio hic maxime commendanda; diæta sit ex  
herbis resolventibus, fructibus horreis, dum carnis fumo indu-  
ratae modica quantitas concedi potest; abstineant ægri a pisci-  
bus, a farinaceis mucum generantibus cibis; hora ante prandium  
& post id vini malvatici poculum, cum aliquot guttis Elix. Vi-  
trioli Mynsichti, vel Elix. Viscerale Hoffmanni aut tempe-  
ratum Kleinii assumi potest.

Si e contrario acidum in ventriculo pro causa mali salutetur,  
convenient potius antacida, absorbentia, mucilaginosæ, saponacea  
cum succo terræ Catechu & Mentha; diæta sit roborans ex carne  
potius, quam ex vegetabilibus; præcipue autem gelidam bibere  
conveniet, hanc, quoniam hoc vitium sæpissime ex debilitata  
ventriculi actione (sive per nimiam calidæ ingurgitationem, sive  
per alia diætetica vitia producta) generatur, omnibus aliis ro-  
borantibus medicamentis palmam præripere experientia me do-  
cuit: abstineant ægri ab acidis vel acescentibus, a potu calido,  
a vino recenti, a spirituosissimis calidis, quæ perverse in hoc malo  
sæpius adhibentur, cardialgias suo stimulo molestas creant, dum  
usu aquæ calidæ mucus ulterius abluatur.

Rarius in hoc casu emetica conveniunt, quamvis tamen ali-  
quando tanta acrimoniæ adsit quantitas, ut sine evacuatione per



superiora non facile domari possit; frequentius autem hæc in usum vocari possunt, ubi biliosa aut putrida adsit acrimonia, ubi prius memoratis contraria commendantur; alvum in utroque casu apertum servare semper necesse est, sive per cholagoga, sive per temperantia cum rheo, sive per clysmata; quoniam accumulatio fæcum duriorum sese fere semper nostro malo tanquam molestum symptoma adjungit.

## §. VIII.

Qui ab aquæ calidæ abusu mali nostri initiis laborant, sedatis præcipuis symptomatibus, sola frigida diæta & antacida sæpius curantur; in spirituum autem ardentium amatoribus semper, supra memorata quum frustra tentaveram, adhibere talia fui coactus, quæ incurandis malis ventriculi topicis, præsertim indurationibus commendanda sunt, uti & in illis, qui fervidos potus & cibos deglutire consueti fuerant.

## §. IX.

Quæ a suppressa quadam evacuatione ad ventriculum geritur materies, sive naturalis quidam humor, sive præternaturalis fluxus, sive morbosa quædam per metastasin sit allata materies, non uno modo eodemque gradu impeditum alimentorum pro-



progressum efficit, adeoque non eodem semper modo debet curari.

Sic primo graviditatis stadio vomitus pertinaces, quam sæpe patiuntur mulierculæ, a vasis ventriculi nimio sanguine repletis; facillime ope venæ sectionis tolluntur, in mulieribus ab alia causa menses si cessant, momentaneum levamen aliquando horum restitutione affertur.

Si post hæmorrhoidum solitum, sed jam cessantem fluxum mali nostri symptomata producantur, tunc resolventia amara adhibenda sunt, uti sunt præcipue extractum Taraxici, Sapo Venet: Sal Tartari Tartarifati, Aloës præparata, aliaque, quæ systema vasorum infimi ventris resolvunt, quibus sæpe fluentes criticae prorsus producantur, vel cœcæ, quibus protinus tunc sanguifugæ admovendæ sunt.

In aliis casibus, ubi perspiratio insensibilis vel sudor subito per conceptum frigus, retro pulsus sunt, resolventia, aperientia, diaphoretica optima sunt, in initio quidem diluentia decocta, & pro varia constitutione & symptomatum gradu venæ sectiones requiruntur, aliaque antiphlogistica, dum postea antimonialia optima sunt remedia.

Si vero morbosa quædam materies ad ventriculum deposita sit, vomitusque non compescendi & anxietates summæ exoriantur, primo acrimonia ejus quantum possit, diminuenda est ope absorbentium, involventium, diluentium, leniterque laxantium



tium sine stimulo, elicienda porro clysmatibus, vel ad locum alium in corpore, quo evacuari solebat, derivanda, ibique educenda, quod iterum pro varia ejus specie diversimode fit.

In genere autem præsertim irritatione illarum partium, in quibus sese manifestare solebat, sive illud fiat frictione, sive alio magis efficaciore modo, uti v. g. insitione etiam subpressæ scabiei (a), vel admotis epispasticis, aut vesicatoriis, quæ etiam ubi non ita cognita sit materiæ morbificæ indoles, abdomini applicanda curavi, optimo cum successu, in viro nempe quadraginta septem annorum, qui efflorescentiam quamdam in facie semper gesserat, contra quam jam multos temperantes & humorum acrimoniam corrigentes pulveres frustra præscripseram, a quo turpi spectaculo lotionem aquæ cujusdam mercurialis, quam a chirurgo quodam acceperat, cito liberabatur, eo eventu, ut post quatrimum in vomitus non compescendos incidere, quos anxietates fere lethales comitabantur, frigebat totum corpus, & pallecebat, respiratio erat brevissima, & pulsus irregularis admodum parvus, tumebat abdomen, aliaque lethalia signa jam aderant, antequam miserum visitabam; abdomini vesicatorium applicandum curavi, mixturam diaphoreticam leniter carminantem, & anodynam præscripsi, cujus au-

---

(a) Vid. Cap. 3. §. 13. pag. 51.



tem nihil ventriculum ingrediebatur, clyisma injectum prorumpibat statim cum fœtentibus admodum flatibus, & nulla spes vitæ superesse videbatur; simulac autem epidermis in vesiculam elevata fuerat, parum solaminis sentiebat, quod increcebat cum augmento stimuli cantharidum, quibus intra aliquot dies ad sanitatem reducebatur; efflorescentia in facie nondum rediit, attamen sanus est.

## §. X.

Vidimus jam de variarum causarum, quæ sua mole, qualitate, vel stimulo ventriculi motum naturalem pervertunt, curatione; nunc autem juxta nostrum ordinem ad illas transeundum est, quæ in ipsius ventriculi morbofo statu sedem habent, inter quæ primo loco ejus inflammatio consideranda venit: hoc vitium raro quidem occurrit ratione causarum, quæ magno numero & frequenter in ventriculo locum habent, quæque, si in alias partes inciderent, inflammationes producerent, quæ ergo est ratio, quod ventriculus multis vasis sanguiferis atque nervis præditus, sensibilis admodum & ad inflammationes concipiendas aptissima structura gaudens, in quam simul occasionales causæ sæpius concurrunt, tam raro inflammatione corripiatur? ratio hæc esse videtur, quod per potus, quos quotidie ingerimus, per rorem exhalantium vaporum, per succum gastricum, per mucum internam superficiem obtegentem, madidum semper ejus cavum maneat; huic madori



si calorem naturalem corporis humani adjungamus, roremque externum quoque superficiem obtegentem, videbimus ventriculum sic perpetuo in balneo calido versari, quo inflammationes, quæ per varias acrimonias, stimulos diversæ indolis, constrictiones violentissimas, imo & sanguinis effusiones producentes, certo sæpius fierent, benefica natura feliciter avertit.

Si autem symptomata gastritidis cum nostro malo adesse observamus, nullum dubium est, quin antiphlogistica cura sit eligenda, cavendum autem sedulo ab omni stimulo, ipso refrigerante, nitroso, qui etiam in externis inflammationibus, si directe partibus affectis applicaretur, noceret; cumque talis directa applicatio post deglutitionem potus antiphlogistici nitrosi adesset, in summum damnum operaretur. Plurimis vero in casibus nihil potest ingeri, si tamen hoc fieri possit, sit illud blandissimum demulcens, leniterque anodynum, v. g. decoctum radicum Altheæ, Saleb aut Consolidæ, cum restrictissima Laudani quantitate ad involvendum & diluendum stimulum inflammationem producentem, ad nervorum muscutorumque fibrarum inordinatos motus compescendos, egregie inservire posset. Ceterum curatio a solis externis potius expectanda est.

Instituantur venæ sectiones largiores, applicentur foci vel cataplasmata madidissima, calida resolventia toti abdominis regioni, injiciantur clysmata diluentia resolventia, repetantur hæc sæpius, & si hisce optatum scopum attingere non liceat,

tan-



tandem ad vesicatorium epigastricæ regioni applicandum confugere licet, sicque eodem modo hic procedendum est, quo in œsophagi inflammatione agendum breviter monui (a), quæ autem curandi ratio ab aliis largius & imprimis a SWIETENIO, egregie explicata est; hacque methodo sæpe feliciter ad resolutionem acutissimus hic morbus perducitur (b).

Si autem hæc omnia optatum solamen non afferant, sed resolutionis terminus præterlapsus sit, tunc pro vario, quem facit inflammatio, exitu, varia iterum institueuda est curatio.

Primus, quem non resoluta inflammatio facit, exitus est in abcessum vel vomicam, sique ejus signa adsunt, convenient blanda demulcentia decocta, potus emollientes diluentes, ut ad maturationem & rupturam perducatur, qua facta, depurantia sine stimulo in usum vocare debemus, cui scopo eadem convenient remedia, quæ, ex monitu Clarissimi OOSTERDYKII, in abcessu rupto post inflammationem œsophagi commendavi, decoctum quoque radicum consolidæ, Lichen. Islandici, cum Cortice Peruviano, cui addatur solutionis Myrrhæ aquosæ aliquantulum, & Mel Rosarum, optimo cum successu, in similibus casibus propinatum vidi; hoc modo aliquando etiam abcessus ventriculi ita curari potest, ut nullum supermaneat mali vestigium: fit

au-

---

(a) Vid. Cap. 6. L. C.

(b) Comment. ad Aphor. BOERH. 951.



autem, ut, vel a cicatrice, vel ab alia causa, etiam ventriculi substantiæ induratio supermaneat, contra quam me certam medendi normam præscribere non posse lubenter profiteor, juxta meam autem opinionem, uti in supra memoratis inflammationis stadiis, diluentia, emollientia, saponacea, leniter resolventia, hic quam maxime commendanda sunt, inter quæ succus inspissatus cicutæ, juxta meam experientiam, optimos præstat effectus; concedere equidem debeo, quod ab usu cicutæ æque minus ac ab aliis remediis exhibitis, nunquam indurationes scirrhasas aut mala cancerosa curata viderim, attamen simul usu sum edoctus, quod, quamdiu, præter hucusque mihi cognita, alia non dantur remedia resolventia, quæ etiam hoc præstant, in nostro casu cicuta omnium præstantissima sit habenda; resolvit saltem sua vi saponacea mucum tenacissimum, qui magnam quoque molestiam parit, dolores cardialgicos & constrictiones ventriculi spasmodicas sua vi anodyna nervisque admodum amica compescit, & acidum, quod in torpidis ventriculis summum est symptoma, minuit; ut brevis sim, in variis casibus, ubi initia indurationis sive glandularum, sive tunicarum ventriculi suspicabar, medelam per cicutam præstiti, in multis aliis, ubi nimis inveteratum erat vitium, præ omnibus aliis, multum solaminis attulit, quod etiam præsertim ex Observatione prima & secunda capitis ultimi patet, ubi, quamvis post mortem indissolubilis appareret ventriculi induratio, vomitus & dolores sub usu cicutæ

per



per fat longum temporis spatium ante mortem penitus disparuerant (a).

Si vero in gangrænam vel sphacelum abeat inflammatio, nullis speratam in hoc desperato casu mortem avertere poterimus remediis.

§. XI.

Ubi cum doloribus ventriculi vomitus assumptorum continui ab excoriatione intimæ tunicæ adsint, etiam tunc mucilaginosi leniter subadstringentibus medelam afferre conabimur.

Si autem violentissimæ systematis nervosi turbæ ventriculum in consensum rapuerunt, ita ut etiam sedatis his, habitualis supermaneat vomitus, in antispasmodicorum & opiatorum usu curationem quærere debemus; mixturam anodynam simulque demulcentem ex aqua florum Rhæados, Gummi Arabico, Laud. Liq. SYDENHAMI, vel Syrupo Diacodii, sæpius, cum bono eventu adhibui, emplastro ex Theriaca ad epigastrium applicato, & clysmatibus laxantibus ano injectis; contigit mihi etiam aliquando, ut, frustra adhibitis his, cicutam, intus & extus adhibitam, curam perficere viderim.

§. XII.

Ubi vero ex causis prægressis & conditionibus præsentibus;

con-

---

(a) Confer. *Obs. de Sana. & Morbosa Æt. Structura*, pag. 88.



concomitantibusque symptomatibus, atoniam fibrarum ventriculi muscularium causam mali esse suspicamur, longe alia via procedendum erit, ab omnibus jam abstinendum est, quæ emolliunt vel relaxant, roborantia hic, quæ stimulant, conveniunt, quæ tonum fibrarum restituunt, Cortex Peruvianus cum stomachicis acrioribus stimulantibus, spirituosus ipsis, ipsa quoque Camphora usu veniet, Vina austera & Cerevisiæ vetustæ concedi debent, frictiones externæ roborantes pannis laneis fumo roborante imbutis, fomenta Spiritus Vini Camphorati, linimenta similia nervina cum oleo Cajeputi, ipseque stimulus electricus adhibenda sunt.

## §. XIII.

A tumoribus autem in ventriculo præsentibus si malum oriatur, difficile curatio determinari potest, quoniam indoles tumoris non ita clare cognosci potest, quæ enim in tumoribus œdematosi cysticis aliquando in ventriculo occurrentibus (a), felicem quandoque producere possent rupturam, vomitoria, scirrhosum in subito lethalem cancrum possent pervertere, adeoque in obscuro tali casu ab heroicis abstinendum puto, & potius resolventia commendarem, quæ fere semper non nocerent, imo aliquando bonum effectum præstare possunt (b).

## §. XIV.

---

(a) Vid. R. FORTIS L. C. & MORGAGNI L. C.

(b) Vid. *Observ.* primam Cap. ultim.



## §. XIV.

Situm ventriculi perversum vario gradu quoque morbum nostrum producere posse ex Capitis tertio §. 14. p. 58. patuit, & sic, pro varia iterum ratione, qua illud peragit, variam quoque admittit medelam, si extra abdomen prolabatur, introduci per taxin & debito pessario vel fasciis aptis retineri debet, si vero in abdomine ipso talem perversum situm habeat, ut inde continuo assumpta rejiciantur, tentatis primo memoratis frustra remediis, diluentibus præcipue atque clysmatibus, ad haustum Mercurii Vivi juxta Cl. J. R. ZWINGERUM, confugi potest, qui in puella undecim annorum incompscibili vomitu jam per quatuor menses laborante, tali haustu curationem peregit (a).

## §. XV.

Quod jam de curatione indurati Pylori, obstructarum glandularum adjacentium, Hepatis, Pancreatis, Lienis &c. dicendum esset, ex supra dictis & illis in §. secunda capitis sexti antea editi tractatus notum est, adeoque in hisce casibus in resolventibus saponaceis non stimulantibus summum solamen quærendum esse patuit, inter quæ cicutam cum frictionibus mercurialibus omnibus aliis præfero.

## §. XVI.

---

(a) Vid. acta HELVETICA, Tom. 4. pag. 234.



## §. XVI.

Angustia autem intestinorum in causa mali si sit, per diluentia iterum decocta laxantia clysmata, quantum fieri potest, palliativam curam peragere conabimur; dum in genere etiam hoc monendum sit, quod in hac mali specie, uti in fere omnibus diætâ ex liquidis jusculis lacte & sic porro quam maxime observanda sit, caveant ægri a difficilis digestionis cibis, in plurimis casibus a farinaceis, a vino, aliisque, acidum stimulum quæ augment, corpus leniter moveatur, a frigore externo sedulo servetur, & alvus semper eccoproticis, sed præcipue ope clysmatum, aperta sit.

Quidquid porro contra vitia vesiculæ felleæ topica, contra aörtæ aneurysmata in abdomine, contra tandem deformem cartilaginis ensiformis figuram moliamur, irritum erit, & non nisi palliativam curam hæc vitia admittent.





## CAPUT SEPTIMUM,

## OBSERVATIONES PROPRIAS CONTINENS.

*Observatio Prima.*

**H**omo pauper, prope pagum GOUDERAK dictum, rure, vivens, nomine *Jan Romein*, medio fere mense Augusto anni 1780. ad me deducebatur, summo cum dolore vix curvus incedebat, sinistra manu infra thoracem eidem lateri admota, querebatur fracta voce de intolerabili dolore circa ventriculum, quem jam per quatuor annorum spatium erat passus, de rejectionibus dolorificis quorumvis assumtorum per vomitum, neque erecto corpore stare, neque jacere in lecto poterat absque insigni cruciatuum augmento: emaciata valde trahebat membra, pulsus habebat celerem debilissimum, respiratio erat brevis & difficilior, & post vomitum sæpius jam deliquium erat passus; vitæ ratio semper fuerat justa, neque potibus inebriantibus fuerat deditus; infusionem vero Caffæ valde dilutam & justo fervidiorem amaverat, & solitum cibum semper a farinaceis sumserat. Examinando locum, quem manu tegebat, inveniebam tumorem notabilem pugno majorem in regione Hypochon-

P

driaca



driaca sinistra; hic tumor erat durus ad tactum, quem non tantum ferebat facile, sed & planæ manus pressione levamen dolori afferebatur, ablata vero manu, dolor augebatur, uti & quoties corpus erigere conaretur, vel lecto se sterneret; si quid ubi sumferat, statim revomebat, summis cum torminibus, admixto quandoque sanguine & grisea foetenti materia.

Statim hinc de induratione non tantum ventriculi, sed & de carcinomatosa jam ipsius degeneratione suspicio incidit; cumque tales œsophagi degenerationes fatalem exitum sæpius habere jam didiceram (\*), nihil fausti de hujus casus eventu misero, cui præter sanitatem quævis vitæ commoda deficiebant, promittere audebam, immo subitam ipsi instare mortem augurari debebam; ne tamen in rebus tam afflictis omni se auxilio destitutum magis doleret, in desperato hoc casu, cicutam præscribebam interne & externe sumendam; videlicet, emplastrum septem pollices longum totidemque latum loco morbofo applicabam, & succum inspissatum, nullis aliis adjectis remediis, conii maculati  $\frac{3}{4}$   $\varnothing$  præscribebam, unde pilulæ gr. iij fierent, quarum in initiotior quovis die unam, deinde duas, tres, quatuor, ad quintam usque, assumendas, atque omnibus assumtis uxorem ad me mitti jubebam, quæ de ejus conditione certum me redderet.

Post

(\*) Vid. Observat. de Sana & Morbosa Oesophagi structura Cap. ultim.



Post elapsos septem dies, nullum nuncium accipiens, jam miseræ vitæ ereptum ægrotum credebam, postridie vero attornitus ipsum deimprovviso domum meum intrantem offendo, hilari vultu lacrimas gratas fundentem, atque profitentem, sese meo unius auxilio ab orci faucibus retractum esse, manum equidem ad locum adfectum applicatum tenens, erecto vero corpore stabat modo memorata narrans.

Penitius querenti quemnam effectum medicinæ præscriptæ expertus esset, respondebat, sese quarto die post applicatum emplastrum, adeoque eodem illo, quo duodecim pilulas assumerat, passum fuisse cruciatus intolerabiles, adeo ut propinqui atque vicini emplastrum removendum censerent, atque ulteriorem pilularum assumptionem dissuaderent; constans autem miser, hocque consilium flocci pendens, perferre omnia malebat, mortem vitæ, qualem per quatuor jam annos egerat, præferens; doloris hæc vehementia durabat usque ad sequentem diem, quo circa horam nonam ante meridianam prius vomitu, deinde per alvum bene multam ejiciebat copiam materiæ albæ fœtentis, in ipsa evacuatione dolor non valde incresebat, immo paulo post quodammodo minuebatur, vomitusque cessabat; sed per alvum eadem materies, quamvis minore abundantia, sæpius emittebatur; nausea molesta post ingesta potulenta illum vexabat: jam vero vomitus erat nullus, & dolor in diem decresebat, ita ut nunc non tantum jacere, sed & erecto corpore stare



posset: post remotum emplastrum inveniebam tumorem etiamnum ferme ejusdem molis, nisi quod mollior multo esset, nec tam tumidus: itaque reposui emplastrum, atque easdem pilulas præscripsi, ita ut quotidie octodecim trium granorum ponderis affumeret; postquam iterum decem dies præterlapsi erant, ad me rediit, acceptum ferens nuncium, quod vitii sui malignitas sensim minueretur; nimirum liber ferme erat doloribus; fluida absque incommodo assumebat, si vero quædam solidiora ingerere vellet, dolores quodammodo augebantur, & postquam per tres vel duas quartas unius horæ partes in ventriculo refederant, rejiciebantur, hinc inde maculis albis ejusdem materiæ, cujus antea magnam copiam evomerat, admixtis, quarum odor haud ita odiose foetens erat; habitus corporis parum erat restauratus; pulsus paulo plenior, lingua purior, respiratio facilior & alvus modice aperta interdum materiam purulentam fecum ferebat: remoto emplastro, morbosum locum iterum examinabam atque inveniebam tumorem adeo imminutum, ut nullum vestigium tactu distinguere possem; novum applicari emplastrum atque pilularum usum continuari jubeo, atque ut jusculis carniū tenuibus, & lacte aqua diluto, rejectis omnibus solidis cibis, ægrotus aleretur curabam. Post elapsos iterum decem dies rediens, nunciavit, quod sese multo jam melius haberet, omnibus malis symptomatibus, vomitu, dolore, anxietate, aliisque, penitus cessantibus, atque veniam rogavit, cibos assu-

men-



mendi, quibus vires melius instaurari possent, ut sic sensim aptus redderetur ad laborem, quo victum sibi & familiæ parare antea consueverat, (erat enim restio) quos cum summa restrictione concedebam; sed simul extractum Corticis Peruviani cum succo Cicutæ inspissato æquali dosi præscribendam, forma pilulari, ut sic triginta sex pilulas gr. iij quotidie assumeret, quibus postquam per tres menses usus esset cum insigni habitus & virium emendatione, tandem, pristinae sanitati omnino reditus, ad laborem rediit, quo in hunc usque diem alitur.

Profiteor, me in hoc casu a nullo penitus remedio auxilium expectasse, & miræ hujus curationis modum a me non facile cum certitudine explicari posse; certa sunt quæ notavi, & quoties gratum hunc pauperem offendo, grata memoria fausti illius eventus me incitat, ut nunquam in desperatis casibus miseros suæ forti relinquam, sed potius ad anceps confugiam remedium, quam ad nullum, dum tamen semper, ubi obscuritas indolis mali non vetat rationalem tractationem, simplici empiriæ præferendum judico.

*Observatio Secunda.*

**A**nno 1781., sub finem mensis Decembris, accedebat ad me pauper quidam, J. S. dictus, ætate quinquaginta sex annorum, fistulis tabaci fumigationi inservientibus conficiendis sibi uxori septemque liberis victum quærens: habitus corporis macilenti



omnino erat cachecticus, statura parva: hic querebatur imprimis de nausea molesta & vomituritione difficili, quæ jam per aliquot dies passus fuerat. Appetitus erat satis, sed post prandium gravatum sentiebat ventriculum, anxietates patiebatur & vomituritiones, lingua erat pura, nulla pars dolebat, pulsus erat naturalis, & quotidie alvum bis se solvere pronunciabat.

Quum pomis terrestribus vel libis ex farina panica confectis fere semper & aliquando parcius pauperes nostri alantur, a cachexia & motu ventriculi perverso ex penuria symptomata hæc orta credebam, ideoque illi præscribebam medicamenta roborantia stomachica, non nimis calida, conservam Menthæ, &c. atque commendabam, ut sæpius de die, sed parca manu, cibum magis eupeptum sumeret, quibus medicaminibus, atque diæta, quantum pro sua liceret angustia, per aliquot dies utebatur cum aliquo, non tamen satis sperato, mali levamine.

Deinde anni subsequenti 1782. vigesimo primo die tristis ad me redibat, nuncians, sese in diem mali persentire augmentum, & prius memorata symptomata, nauseam & vomituritionem, sese in pejus convertisse, in vomitus continuos, præcipuæ vero temporibus nocturnis; nullum huc usque rationem percipiens, unde liqueret, priorem indicationem claudicasse, Antiemetico Riverii pro tempore vomitibus occurrebam, & prius memoratis remediis Absynthium, radicem Gentianæ, atque limaturam Ferri admisceri, atque emplastrum magnum ex  
Oxy.



Oxycrocii & Theriacæ partibus æqualibus regioni epigastricæ applicari jubebam. Ad nonum usque Februarii diem hisce remediis incassum non tantum utebatur, sed morbus in pejus ruebat, vomitus quotidie augebantur, unde noctes trahebat plane insomnes, & valde debilitabatur. Ab eo tempore operam dedi, ut cibum debitum, item cetera, quæ ipsi conveniebant, procurarem, dedique cibum eupeptum, concessique Vini Stomachici blandi modicum haustum.

Infra quatrimum vero pejorem etiam ægroti mei conditionem animadvertēbam; vomitus insigniter adaugeri, & in dies fieri molestiores pergebant. Graviter laborabat, assumpta rejiciens alimenta prorsus immutata, cum muco subflavo, valde spisso, alvus manebat aperta, incipiebat queri de dolore in regione epigastrica, ubi venter prominebat parumper, uti & non ita manifesta durities, quam major partium resistentia ad pressionem digiti, sentiebatur, nulla aderat fluctuatio.

Nunc quidem clarioribus signis edoctus, de mali topici præsentia in ventriculo certior fiebam, & quidem angustiam pylori ex ipsius membranarum substantiæ vel glandularum obstructione aut induratione, aut muco tenaci orificium dextrum occupante, originem ducendum apertum erat, aliarum causarum signis deficientibus; adeoque, si quid sperari posset auxilii, hoc in potenter solventibus non valde stimulantibus remediis quærendum judicabam: eoque consilio succum inspissatum cicutaë



cutæ intus exhibebam & extus emplastrum ex eadem applicari jubebam, admirando prorsus eventum.

Vomitibus enim sensim minuebantur & continuato hujus remediï usu penitus cessabant, debilitas vero atque cachexia tam altas egerant radices, ut de recuperanda brevi sanitate multum desperarem: aderat enim jam febricula lenta vi corpus depascens, appetitus non ita vegetus atque in initio querelarum, alvus sponte manebat modice aperta; non redeunte vomitu, analeptica ad sustentandas vires inter usum cicutæ propinabam; remanentibus jam, quæ ingesta erant, quod indicium videbatur, causæ sublatae, vel saltem multum imminutæ, qua ante revomebat omnia. De instaurandis labefactatis viribus, tollendâ febre atque cachexia, unice jam cogitandum putabam, adeoque ad roborantem medicinam atque diætam confugiendum: eventus autem spem fefellit, incresebat cum febre macies, pedes œdematosi fiebant; ceterum exsuccus fiebat, & decimo nono die mensis Aprilis non ita vehementes inter convulsiones, moriebatur.

Ipsa illa vespera, studiosus detegendi ulterius mali indolem, cadaver cultro anatomico subjiciebam, idque tanta & tam notabilia mihi exhibebat, ut operæ pretium ducerem, quæ videram statim cum cura notare, iisque, quæ de morbi initio, decursu, atque fine, conscripseram, adjungere.

Externa forma Cadaveris erat macra contracta, collapsa, atque videbatur ferme exsiccata; cerebri erat naturalis situs; si  
aquam,



aquam, in ventriculis anterioribus ad cochlearis copiam fluctuantem excipias; in collo, pars sinistrae arteriae carotidis erat duriuscula, cartilagine thyryöideä atque cricoïdea laryngis erant anterius parte ossificata; in thorace cor erat sanum, sed pulmo sinister tam firmiter cum pleura erat concretus, ut prius ipsum pulmonem (qui tamen non erat morbosus) divellere, quam adhibita vi hanc solvere concretionem potuissem.

Ad abdominis primam jam incisionem prorumpibat omentum splendens, maxime glabrum, quod, quum attentè conspicebam, vidi continere intra suam duplicaturam, lympham spissusculam, inodoram, pellucidam, qua turgebat omentum, quasi flatu distentum, ulterius hocce cavo aperto, inveniebam circiter libras tres cum dimidia aquae lymphae, itidem inodoraë & minus glutinosæ, quam illa, quam omentum continebat.

Hepar naturalem colorem & magnitudinem præ se ferebat, uti & lien: intestina & mesenterium, renes, atque vesica urinaria nihil notabile exhibuerunt.

Ventriculi vero stupenda a statu naturali aberratio monstrabat indolem morbi, atque vomitus, qui antea fuerat, causam, sed quæ absque cadaveris dissectione semper latuisset.

Videlicet ex morbosa totius ventriculi mutatione, mirum mihi videbatur, quod ulla digestio atque assumptorum concoctio locum potuerat habere: mirum mihi visum est, quod propter mole auctas atque induratas glandulas ad sinistrum orificium

Q

fitas,



fitas, ipse descensus alimentorum ex œsophago in ventriculum non fuerat impeditus (a). Mirum mihi visum est, quod vomitus non ad mortem fuerint continuati; mirum denique visum est, quod in tanta a sano statu aberratione in viscere, cujus functionis effectum minima corporis humani pars debet experiri, vita tam diu protracta fuerat.

Complicata hujus ventriculi degeneratio non simplici descriptione sat clare cum aliis communicari poterat, neque in situ partes morbosæ satis accuratam delineationem permittebant; adeoque sublatis omnibus visceribus, atque pancreate etiam fanissimo, ventriculum a reliquis separabam, juxtaque illum separatim delineationes illas fieri jubebam, quas tabulæ tres priores continent.

In tabula prima, totus ventriculus cum parte œsophagi, uti ab anteriore parte sese habet, exhibetur: in altera a posteriore eadem partes repræsentantur, dum tertia exhibet induratum pylori marginem, qualis aperto intestino duodeno fuit, unde ejus apertura nimis coarctata fuerit.

Describam tabulas prorsus cum morbofo objecto convenientes, ita ut illud earum inspectione satis clare percipi possit.

Œsophagus ad sesqui pollicem supra cardiacam abscissus & ligatus.

(a) Vid. Tab. I. *Lépt. e.* & *k. k.*



gatus est (a), inde naturali amplior multo in ventriculum expanditur (b), pars superior ventriculi, sinistrum Hypochondrium versus tendens, glabra & satis naturaliter constituta est, (c) tunicæque naturalem ibi habent mollitiem atque crassitiem; ad dextrum autem naturali amplioris multo cardiæ partem, quæ curvaturam minorem respicit, plurimâ apparent glandulosâ corpuscula indurata, totam curvaturam minorem occupantia, atque pylorum ad cardiâ proximè adtrahentia, ab anteriore cardiæ parte conspicitur corpus quoddam planum, durissimum, thyreoideæ figuræ, immobile, ipsi ventriculo infixum (d), conjunctum hoc corpus erat per corpuscula nigricantia durissima cum simili fere mole ad finem ventriculi dextrum, etiam in *Tab. 1. Litt. e.* notatum, albi quoque coloris.

Curvaturæ ipsius minoris substantia penitus indurata est, & in cartilagini similem substantiam mutata; dextra pars curvaturæ majoris in coriaceam substantiam transit, tunicæ ejus ibi sunt solito multo crassiores & multum a sinistra ventriculi parte differt (e), plicosam aut rugosam superficiem exhibens (f). Prope pylorum ab anteriore parte maxime induratus & in cartila-

(a) *Tab. 1. Litt. a.*

(b) *Tab. 1. Litt. b.b.*

(c) *Tab. 1. Litt. c.c. & Tab. 2. Litt. a.a.*

(d) *Tab. 1. Litt. e.*

(e) *Tab. 1. Litt. d.d.d.*

(f) *Tab. 1. Litt. f.f.f.f. & Tab. 2. Litt. c.c.c.c.*



tilaginem crassam mutatus ventriculus (*a*), dum in posteriore nondum penitus induratus est (*b*), sed induratae ibidem curvaturae minori (*c*), accretum quoque corpus glandulosum durissimum est (*d*), & totus pylorus atque cardia atque duodeni initium ibi tegitur congerie glandularum induratarum (*e*), quae etiam ab anteriore partim in conspectum prodeunt (*f*).

Intestini duodeni initium etiam durum erat, ferme cartilagineum, nec forcipe facile difsecandum (*g*). Margo pylori cartilagineus totus quantus erat (*h*), & aperturam minimuma clausam firmiter tenebat (*i*), caeterae intestini duodeni partes fatis erant laxae (*k*).

---

(*a*) Tab. 1. Litt. ggg.

(*b*) Tab. 2. Litt. d.

(*c*) Tab. 2. Litt. bbb.

(*d*) Tab. 2. Litt. e.

(*e*) Tab. 2. Litt. ffff.

(*f*) Tab. 1. Litt. i. & k.

(*g*) Tab. 3. Litt. cc.

(*h*) Tab. 3. Litt. bb.

(*i*) Tab. 3. Litt. a.

(*k*) Tab. 3. Litt. dd.

---



---



---



---

 TABULARUM EXPLICATIO.

## TABULA PRIMA

*Ventriculi anteriorem faciem representat, ubi notantur.*

- a* Oesophagus ligatus.
- bb* Ejus ad cardiam præternaturalis latitudo, transitura in expansionem ventriculi.
- cc* Sinistra ventriculi pars, naturaliter constituta.
- ddd* Curvaturæ minoris anterior facies, in cartilagineam substantiam mutata.
- ee* Glandulæ induratæ, occupantes prope cardiam & pylori curvaturam minorem, eosque variis tuberculis scirrhosis secum invicem connectentibus.
- ffff* Curvaturæ majoris anterior facies, non plame indurata, sed parietibus solito crassioribus, firmæ compagis & coriaceæ quasi naturæ.
- gg* Finis ventriculi induratus instar cartilaginis, atque parietibus crassitudine auctis, pressioni nequaquam cedens.
- h* Duodenum ligatum.
- i* Glandulæ variæ induratæ, pylorum a posteriore parte tegentes.
- kk* Ejusdem indolis corpuscula, & pyloro & duodeno & oesophagi fini accreta.



## TABULA SECUNDA,

*Ventriculum a postica parte exhibet, in quo notanda.*

*aa* Sinistra pars sana.

*bbb* Curvaturæ minoris posterior facies, æque indurata atque anterior. Vid. Tab. I. *d. d. d. d.*

*ccc* Curvaturæ majoris posterior facies, coriacea quoque indolis, vid. Tab. I. *ffff*

*d* Finis Ventriculi, non adeo durus, atque in anteriore facie, sed accretus corpori glanduloso, ossæ duritiei, quæ lit. *e* notata est.

*ffff* Insignis Collectio glandularum induratarum, ope membranæ inter se invicem cohærentium.

## TABULA TERTIA,

*Notatur.*

*Lit. a* **A**pertura angusta pylori in duodenum.

*bb* Margo hujus induratus atque crassitie multum auctus.

*cc* Initium duodeni apertum pariter & induratum.

*dd* Cavitas interna duodeni naturæ conveniens.



---

*OBSERVATIO TERTIA.*

**M**ulier 61. annorum, modestæ sed sedentariæ vitæ rationi assueta, semper sana vivebat, nunquam signis graviditatis observatis, evacuationem menstruam ad annum suæ ætatis quinquagesimum septimum experiebatur, temperamento gaudebat sicco, non admodum irritabili, ad initium mensis Junii ann. 1783. quæsta de anxietate intolerabili post pastum indies multum crescente, per bihorium trihorium aut quadrihorium durante, cæterum sese sanissimam profitebatur; appetitus vigebat satis, lingua erat pura, alvus naturalis, pulsus sanus, & nulla nisi vitiatæ concoctionis indicia in ejus querelis erant invenienda; quare mixturam carminantem præscribo stomachicam, atque abstinentiam a flatulentis alimentis servari jubeo; Caffææ & Theæ nimium usum veto, atque modicum corporis exercitium sedentariæ vitæ præferendum suadeo, sicque per mensem unum alterumque pergo, sed non valde insigni symptomatis levamine; ea vero nullum præterea quæsta incommodum, pylori sensim nascentem angustiam suspicans, examen ventris propono, quod negabat primo, sed mariti consilio firmata tandem permittebat, tandem, inter alia argumenta, dicentis, *tunc medicus simul inquirere poterit, quid sit, quod ita in umbilico tuo pulsat,*  
ad



ad quas voces curiosus statim manum umbilici regioni impono, atque duritiem offendo molis tantæ, ut manu vix tegi posset, a medio umbilico ad locum inanem sinistram sese exferentem atque cum arteriis & corde æquales pulsationes exhibentem; juxta ipsius ægrotantis atque mariti testimonia jam per varios annos adfuerat, nullius vero incommodi fuerat causa: neque etiamnum nocere sibi pronunciavit, nam simul atque alimenta assumpta per 4. horas in ventriculo adfuerant, cessabant anxietates & sanam iterum agebat vitam, nisi quod semper dolor obtusus remaneret ad sinistram lumborum regionem: artus inferiores erant maciliores multo, quam superiores, & sceleti formam quamvis haberent, motu gaudebant satis potenti, & sensatione nequaquam carebant; quum nunquam de perpetua anxietate, nunquam de cordis palpitatione, nunquam de impedimento vel minimo respirationis quæsta fuerat, neque ego unquam in pulsu suppressionem vel inæqualitatem perceperam, sed eum semper offenderam satis plenum fortem atque regularem: Quum, erecto si staret corpore, pulsatio vix perciperetur, & durities, si resupina jaceret, esset notabilis, dubius hæsi de indole hujus mali, cogitabam de corpore quodam indurato, de glandulis mesenterii induratis, in massam majorem coädunatis, quæ per diastolen arteriæ magnæ, si supina jaceret ægra, elevabantur, quæ, illam comprimendo, artus inferiores a debito humorum affluxu privabant, quæ ventriculum post prandium pleniorē

im-



impedirent, quo minus contenta versus inferiora deferret, & sic anxietates post assumta alimenta produceret, sed simul de dilatatione ipsius arteriæ magnæ mihi fuit suspicio, quum nullum in nutritionis negotio vitium conspicuum erat, quod tamen in omni casu, ubi tantæ in mesentericarum glandularum & vasorum lacteorum systemate turbæ adsunt, fieri necessario deberet, sed habitus corporis pro ratione assumtorum erat bonus, nunquam assumta vomitu rejecit, urina erat pellucida citrina, raro turbida, sed parca; alvus satis facile movenda: diagnosi hujus mali quum non esset facilis, indicationes curatoriæ etiam haud liquide patebant, &, quum in dies minus assumeret, anxietates auferentur, neque a medicamentis resolventibus & stomachicis non stimulantibus vel & antispasmodicis ullum solatium perciperet, sed debilis evaderet admodum, & quævis alimenta etiam liquida præ metu anxietatum repudiaret, lethalem prognosin formare mihi debui, quæ secundo die mensis Augusti ejusdem anni 1783. confirmabatur; ante meridiem enim hora decima & dimidia sola e lecto surrectura urinam mittendi causa, de matula procumbit humi, & advolans ancilla in deliquio morientem ærotam amplectitur.

Quamvis in tolerabilis ejus diei æstus & occupationes in visitandis multis biliosa laborantibus ærotis, non admodum cadaveris contrectationem suaderent, vel fatigato permetterent, adtamen desiderium inquirendi, quæ me latuerunt, morborum &



mortium causas, omnia removebat obstacula, atque me impellebat, ut eadem illa vespera illa inspicere constituerem, quod a marito facile satis concedebatur; hora vespertina decima ad illum accedo, ut oscitationes vicinorum evitarem, atque jam tunc manifesta corruptionis initia naribus offendebam, odorem jam putrescentem emittebat cadaver, abdomen erat molle, æquale & nulla plane induratio, quæ in viva pulsaverat, tactu percipiebatur, quare disruptum forte tumorem & materiem corruptam in abdominis cavum effusam fuisse suspicabar, illamque rupturam subitanæ mortis existisse causam.

Parva incisione infra umbilicum prius abdomen aperiēbam, ut materiæ, si quæ adesset, effluxum sordidum prævenirem; inter integumenta & musculos, quibus egregia atque sana erat rubedo, multum pinguedinis hærebat; dissecto ulterius peritoneo, atque intromisso per aperturam anteriore digito, nullam fluidi copiam inveniebam, nullamque inæqualitatem, sed glabra intestina nihilque præterea percipiebam, adeoque abjecta disrupti abcessus ideâ, transversa sectione totum aperio abdomen, prius versus inferiora, atque videbam in dextra regionis umbilicalis latere parvum quasi ventriculum, in naturali similem pylorum desinentem, qui in medio umbilico ex arcto orificio cardiæ simillimo oriebatur, & abhinc usque in latus dextrum perfectam sani ventriculi faciem & formam exhibebat, si

ex-



excipias magnitudinem, parem ventriculo infantis duorum annorum; itaque versus pectus ulterius abdomen aperiebam, ut omnia, quæ in eo continerentur in conspectum venirent, sicque apparebat altera iterum ventriculi dilatatio, ex coarctatione ejus in umbilici regione versus superiora multo ampliore sacco versus sinistram ventriculi regionem desinens, sed, ut clarius intelligatur, a superiore cardia incipiendo ad pylorum usque miram hujus ventriculi formam describam; nimirum superior ejus pars naturaliter constituta quidem, sed solito magis expansa & elevata, sub hepatis marginem non tota abscondita, pro maxima parte in conspectum veniens, decurrebat usque in umbilici regionem, ibique adeo coarctabatur, immutata tamen ejus tunicarum substantia, ut circumferentia totius ventriculi minimi digiti circumferentiam haud superaret, infra quam coarctationem offendo tumorem duriores, supra quem tensus jacebat ventriculus; ex hac coarctatione iterum expandebatur cavum ventriculi & quasi alter ventriculus nascebatur, qui penitus in abdominis cavum dextrum descendebat; infra umbilicum & solitæ simili curvatura in intestinum duodenum transibat; ex tota hujus ventriculi majore curvatura propendebat omentum pingue, sanissimum, infra quod colon contractum conspiciebatur, ceterum etiam naturaliter constitutum, & transverse per abdominis cavum positum: cetera intestina etiam sanissima apparebant, vacuaque hæc erant, dum in superiore ventriculi sacco



assumta juscula vitulinæ carnis adessent; hepar quoque naturalis coloris magnitudinis & consistentiæ erat.

Digitis jam perceperam mirum hujus ventriculi situm ac formam productam certo fuisse per tumorem magnum, durum, immobilem, infra arctum ventriculi medium hærentem, ad cujus examen nunc procedendum erat; itaque eximenda jam erant ventriculus & intestina, antequam tumorem hunc ob oculos ponere posssem; operæ autem pretium nimis modo descriptum objectum mihi videbatur, quam ut ejus conspectus mihi soli fervaretur, adeoque delineationem descriptarum modo partium, qualis earum in cadavere situs fuerat, faciebam; juxta quam Tab. prima sculpta & pressa est, ex cujus inspectione & explicatione præsentem sibi hanc præparationem melius referre poterit lector, quam ex sola descriptione, quamvis accuratissima. Jam hac ventriculi defiguratione conspecta, ulterius causa hujus erat examinanda; novi equidem, dari ventriculos, qui in media parte quodammodo sunt coarctati, cujus rei organicas causas detegere non licet, (ex juniore cadavere ipse talem ventriculum fero, & frequenter a præceptore Cl. SANDIFORT mihi ejusmodi specimina demonstrata sunt) hoc vero in casu clare perspici potuit, tumorem, supra quem quasi supra monticulum arcta hujus ventriculi pars tumebat, compressionem notabilem hoc in loco fecisse, sicque superiorem atque inferiorem ventriculi partem; (quæ forte a nativitate tali, qualem modo me-

mo-



moravimus, incisura quasi dividebantur) tantopere a se invicem distractas reddidisse.

Hujus autem tumoris indoles cum nondum plenarie esset cognita, jam ulterius examinanda erat, ideoque reclinatis ventriculo, atque intestinis, sanissimum solitumque locum occupans pancreas in conspectum veniebat, infra quod vero spongiosum nigricans corpus offendo, digiti compressionem non ferens absque lateratione, grumofum fanguinem referens; locum, quem lien occupare solet, obsidens, cujus visceris nullum vestigium supererat; grumofum autem modo dictum corpus cum indurato tumore concretum erat; eximenda jam mihi erant ventriculus & intestina, quod factu non admodum facile erat; temporis enim conditio neque morbosa partium constitutio, debitam vasorum ligaturam permittebant; attamen operationem hanc multo labore peragebam, absque subjectarum partium, quæ nunc examinanda erant, læsione; quo facto, cellulofam, quantum poteram, separabam, sicque in conspectum ducebam partem arteriæ aörtæ, renem dextrum, atque magnum tumorem, quo abscondebantur aörta arteria, a cæliaca usque ad bifurcationem in iliacas; atque ren sinister cohærebat firmiter cum grumoso isto spongioso corpore, quod loco lienis erat; cohærebat quoque firmiter cum peritoneo sinistri lateris, idque fere totum replebat; quum nondum satis clare pateret, cujusnam indolis esset iste tumor, qui extus pinguedinis colorem atque



naturam præ se ferebat, digito ubique prudenter examinabam, an aliqua parte esset libera; ad bifurcationem aortæ inveniebam substantiam ossream in hoc vase adesse, quod inde etiam summo opere erat coarctatum: in arteriis Iliacis eadem ossificatio locum habebat, & coarctationes notabiles variis in locis, ita ut hæc vasa ad tactum potius catenulam, quam cylindricum tubum referrent, ex quibus & ex summa artuum inferiorum macie, degenerationem magnæ arteriæ descendens suspicabar; & quidem de ejus præternaturali dilatatione, ab aucta in inferiore vasis ad appellentem sanguinem resistentia ortam, quæ aliter frequentius in curvatura ejus superiore locum habere observatur, quam quidem in hac parte: jam antequam ad aperiendum tumorem transibam, omnes iterum has partes, quæ sese oculis offerebant, delineabam, juxta quam delineationem Tabula secunda parata est.

Hepar naturale in suo loco relictum cum lobulo Spigeliano & vesiculæ felleæ fundo in superiore parte abdominis apparent; vesicula fellea naturali major erat, & bile turgida, quod in inedia extinctis semper fieri observatum esse annotavimus in observatione ultima, quam ad sani & morborum œsophagi descriptionem adjuximus: in sinistro latere patere potest, quomodo lien in massam deformem, corrupto, coagulato, grumoso sanguine constantem, ad mediam tumoris magni partem decurrentem, firmissime huic accretus fuerit, ita ut neque manu neque  
cul.



cultro separari inde posset, absque laceratione lividæ membranæ, qua tenuissima quidem, tamen includebatur.

Dextri lateris peritoneum sanum videbatur, uti & ren dexter, qui arctissime tumori adjacebat quidem, non tamen cum eo concretus, sanum colorem equidem habebat atque habitum, volumine tamen erat auctus, quippe naturalem magnitudinem, dimidia parte superabat, uretere paulo etiam latiore libere ad vesicam urinariam decurrente gaudens: vena cava inferior, infra hepar ligata, juxta aörtam inter renem dextrum atque tumorem inferiora petebat, atque in venas iliacas libere dividebatur, collapsas, minoremque, quam aliæ venæ, sanguinis copiam continentibus; vesica urinaria contracta erat, & cum intestino recto in inferiore tabulæ parte conspicitur.

Quod vero singularem lectoris attentionem meretur, infra descriptas partes medius prodit tumor, qui extus pinguedini similis, æqualis erat & glaber, duriusculus quidem, attamen, si paulo fortius digito illum premerem, percipiebam humorem quemdam vel materiem molliorem intus contineri; magnitudine pugnum majorem viri adulti superabat, formæ erat ovalis, sinistrum lumborum latus ferme totum replebat, cum peritoneo firmissime erat concretus; postquam cum eo separatus & elevatus esset, nullum renis sinistri vestigium invenire potui; aderat nihil aliud, præter grumosam quoque materiem, simillimam illi, quæ lienis degenerati reliquia sunt, tumoris autem ipsius



flus natura jam clare mihi patebat; tantam jam videbam in aortæ ipsius figura atque substantia degenerationem, ut vix credi posset, eam tamdiu locum in corpore habere potuisse, nec prius lethalia symptomata produxisse: nimirum per totum abdominis cavum in nulla parte naturaliter hoc vas, cujus integritas toti corpori tam necessaria est, erat constitutum, nisi in superiore, ubi celiacam emittit, inde autem ad iliacas usque in amplum saccum expansa, aliarum partium totam ruinam produxerat; iliacæ arteriæ osseæ erant & arctissimæ atque in partibus inferioribus emaciationis summæ fuerant causæ, debitam sanguinis copiam non transmittentes, ad extremitatum inferiorum nutritionem; durities expansionis modo notatæ substantiæ tunicarum degenerationem quoque adesse significabat, quare, delineatis quoque hisce partibus, ad examinanda, quæ restabant, transibam, atque totum saccum a superiore versus inferiora aperiebam, atque videbam tunicas solito crassiores, materia corrupta terrestri argillacea inter eas collecta, a se invicem distantes: erat plenus corrupto cruore saccus superior; superficies interna fungosa erat, ceterum satis glabra; osseam etiam pro maxima parte naturam intima tunica induerat, in medio erat foramen irregulare, quo tamen via patebat ad renem dextrum; inferior pars tota ossea, uti & contortæ & ossificatæ arteriæ iliacæ, quod tab. III. monstratur.



## TABULA QUARTA.

*Exhibet.*

- Lit. a. a. a. a.* **I**ntegumenta abdominis transversa sectione reclinata.
- bb* Hepar sanum.
- cc* Lobulum Spigelianum.
- d* Vesiculam bile turgidam.
- ee* Superiorem ventriculi præternaturalem expansionem.
- f* Mediam ejus partem, admodum contractam.
- gg* Inferiorem profundius solito in dextrum abdominis latus sitam, & in pylorum
- h* desinentem.
- iii* Omentum pingue.
- kk* Colon transversum contractum.





## TABULA QUINTA.

- a* **A**rteriæ aörtæ pars altera, quæ sana erat, & cœliacam  
*b* emittens.
- ccc* Tumor aneurysmaticus massæ pinguedinosæ formam re-  
 presentans.
- dd* Arteriæ iliacæ ossificatæ.
- ee* Corruptus atque in grumofam substantiam degeneratus  
 lien atque ren sinister.
- f* Superior vena cava ex hepate emergens.
- f* Inferior vena iliaca dextra.
- g* Ureter renis dextri.
- h* Ren dexter.
- i* Arteria spermatica.
- k* Vesica urinalis.

## TABULA SEXTA.

- aaaa* **S**uperficiæ internæ aneurysmatis ossea lamella.
- b* Foramen inæquabile, quod ducit in arteriam emulgen-  
 tem dextram.
- cc* Tunicæ arteriam constituentes degeneratæ, induratæ,  
 & materia terrea a se invicem remotæ.
- dd* Duo orificia arteriarum intercostalium.
- ee* Cavitas interna arteriarum iliacarum irregulari ossificatione  
 coarctata.



---

*OBSERVATIO QUARTA.*

**V**ir proceri robustique habitus, vitam agens laboriosa, ferme semper aëris injuriis expositus, nec tamen spirituosis liquoribus abutens, quadragesimum sextum annum agens, Nicotianti fumi in primis amans, vigesimo mensis Junii anni 1784. ad me venit, questus se ante aliquot hebdomadas doloribus, quos putabat Rheumaticos, circa ventriculi regionem correptum fuisse, qui sensim quidem disparuerant, non tamen adhucdum ventriculus pristinum receperat vigorem; anxius erat post pastum, appetitu vegeto non gaudebat; sæpius tres duasve post pastum horas vomitu alimenta rejiciebat, acido mucos commixta, qui dentes hebetabat; dolor erat obtusus illo loco, cujus distantia latitudinem trium digitorum sub scrobiculo cordis est, sive cartilagine ensiformi; alvus multum clausa, lingua crusta albicante mucosa leviter tegebatur; pulsus bonus; quamvis habitus juxta ejus testimonium jam quodammoda macilentior esset, quam fuerat antea.

Examina locum, quem dolore obtuso urgeri nunciabat, & in quo antea dolores rheumatici locum habuerant, videbatur mihi ibidem resistentia digiti imprimantibus major adesse, quam debebat, adeoque de incipiente angustia Pylori apud me sus-



picio nascebatur, cujus causam in glandulis obstructis & quodammodo jam induratis statuebam, adeoque quærenti ægrotum an intra paucos dies istius mali sanationem peragere possem, non, quod voluit, respondere debui; contra suadere conabar, ut patientia uteretur & prudentia, ne varia consilia forte sibi opposita sequendo, in certum periculum sese conjiceret, quæ verba homini huic ita displicuerunt, ut statim abiret, diceretque longam sanationis moram sibi non convenire, ideoque sese alius medici consilium quesituri esse.

Vigesimo sexto mensis Septembris ejusdem hujus anni, hora vespertina septima ad ipsum vocabar ægrotum, qui abhinc fere tres horas aberat; continuo vomitu jam vexabatur, in deliquium animi sæpius incidebat, emaciatus & debilitatus erat quam maxime; vox debilissima; pulsus celer, debilis; locus sub cartilagine ensiformi durus, tumidus; &, in dorso si jaceret æger, a pulsu arteriæ aörtæ elevabatur: uti plebs semper ab eventu facta notanda putat, sic propinqui ægrotantis, & ipse æger, trista jam experientia edocti, ex infausto miseri hujus statu magis æquum de me fovebant judicium.

Narrabant, quod ægratus, postquam a me abierat, tres peritos adierat medicos, eorumque consilia quæsiverat, quorum unus Roterodami, alter Ultrajecti ad Rhenum, tertius Lugduni Batavorum degebant; hi omnes, uno quasi ore, causam malorum non nisi in muco tenaci, in ventriculo hærente, quærendam



dam profitentes, subitam ægroto promiserant sanationem; varia eo consilio in usum vocaverant salia resolventia, stimulantia, acria, mucum incidentia, purgantia; quæ, cum votis non responderent, sed æger in dies molestissimos dolores, anxietates, & vomitus frequentiores pateretur, tandem ad vomitoria ultimus confugere tentabat, eo effectum, ut in modo memoratum statum morti proximum incidisset miser: quum nihil jam ingeri posset, anxietatesque pateretur molestissimas, singultum, doloresque; deliquis animi efflare animam quovis momento minitaretur; quid jam mihi esset agendum, vix sciebam. Quamvis certam præviderem mortem, suæ forti non relinquendus videbatur; sed vitam, quamdiu fieri posset, protrahere, symptomataque minuere conari, me jubebat officium. Eo consilio mixturam anodynam balsamicamque, ex Aq. fl. Rhæad. ℥ iv. succi inspiss. Cicutæ gr. iv. gumm. Arab. ʒ i. sal. Absynt. succo citri saturat gr. x. syr. Diacod. ℥ i. præscribebam, emplastrum ex Theriacæ Andromach. & empl. Cicutæ partibus æqualibus regioni ventriculi applicabam, & clysmata ex decocto de Cortice Peruv. & carne Vitulina ano injiciendum quovis quadrihorio jubebam. Altero die rediens imminuta symptomata quodammodo inveniebam, vomuerat aliquoties nocte præterita, inde vero hora septima matutina somnus obrepebat, ex quo conatibus ad vomitum media luce erigebatur, qui post assumptum cochlear mixturæ cessabant; singultus non redibant; animi deliquia cessa-



bant etiam, & pulsus paulo erat melior, lingua sicca, urina turbida & fæces alvinæ, cum clysmate evacuatæ, erant durissimæ consistentiæ, nigricantisque coloris; per octiduum hæc methodo pergebam, eo effectû, ut, nihil ingerens æger per os, nisi mixturam & forte etiam aliquid collutionis, quâ os madefaciebat, nihil quoque revomert, sed clysmatibus nutrientibus & roborantibus sustentaretur; jam vero juscula nutrientia ingerere incipiebat, & pilulis resolventibus stomachicis uti, eo effectû ut per tres hebdomadas, non nisi semel, vomitu assumpta rejecisset, viribus adeo auctis ut cubile perambulare jam posset, & aliquoties ad primo memoratas delicias transfiret, puta fumum Nicotianæ: decimo autem octavo die Octobris, postquam bihorium scribendo, sicque comprimendo locum affectum, transegerat, multum iterum vomuit cum anxietatibus summis, & magna virium prostratione, cessabant autem iterum sensim hæc symptomata, & facilis digestionis alimenta iterum assumebantur impune; imprudens autem manducatio & vegetus appetitus in causa erant, ut etiam crudiora aliquando in ventriculum pervenirent, sæpius saltem in alvo semina uvarum recentium, quas comederat, inveniebam, aliaque frustula indigesta; unde concludebam, angustiam in Pyloro non tantam esse, quin si debite ageret ventriculus, satis sufficiens nutrimenti quantitas ex eo versus duodenum ferri posset, quamvis induratio & pulsatio eadem remanerent; inertiam ideo fibrarum

ven-



ventriculi quodammodo emendandam putabam, atque eo consilio, quæ ventriculi vires auferent, motumque peristalticum, admiscui solventibus, & sequentem formulam præscribere non incongruum duxi, R. Succ. insp. Ciicutæ ʒij. *Extr. rad. Helen.*

*Extr. rad. Helen.*

— Cort. Peruv. aʒij.

Pulv. Rhei El. ʒi.

Ol. Menth. gtt. v.

M. F. pil. gr. ʒv. sumat æger quovis trihorio duas.

Per tres Hebdomadas meum consilium sequens, utendo hisce pilulis & diæta liquida, absque vomitu satis bene sese habebat; appetitus erat admodum vegetus, alvus naturalis, locus affectus in eodem remanebat statu. Impatiens vero ægrotus solidos cibos assumere iterum tentabat contra meum consilium, unde pristina symptomata iterum recurrebant, quare alio Medico Judæo sese tradidit, a quo tertio die mensis Decembris ultimum assumpsit remedium, eo effectu, ut ad plures abiret.

Similis huic casus mihi anno insequenti occurrebat, cujus idem eventus. Dolebam, quod illa inspicere in utroque cadavere mihi non concederetur.

Certum autem mihi videtur, quod pylori callosa induratio adfuerit, quæ ipso tactu detegi posse mihi videbatur, an vero pulsatio illa, quæ in priori ægroto manifesta erat, & simili momento & regula fiebat atque arteriarum totius corporis dilata-

tio,



tio, orta fuerit inde, quod incumbens aörtæ ventriculus induratus a dilatatione arteriæ elevaretur; an etiam adfuerit ejusdem vasis morbosa expansio, non certo judicare audeo; certius est, quod in utroque casu mors insecuta certam prognosin in hujus morbi tractatione prohibuerit, unde & patientia ægrotantium emendari & fama medici servari Melius poterit.






Tab. 5<sup>a</sup>






Tab. 2<sup>a</sup>







Tab. 3<sup>a</sup>













Tab. 6<sup>a</sup>

